

IHA

AE

153367

as

1619. d. 19

5



Henricus à Dorstadt
Spes mea est Christus
Marius Schüniger zu Ess
Dnus 14. Augusti 1619

M. 17
2 A. 113

Ego Daniel Schor
1668 Quod. dan
de h. h. h. librym




Plautus.

Bene si amico feceris, ne pigeat te,
ut potius pudat, si non ^{esse} feceris.

Cicero 3 off.

Est alienum viro, quod alteri pro
ceperit, id ipsam facere non
posse.



DE DIVISIONE
PHILOSOPHIAE
TUM RANEA, TUM
ARISTO
TELICAE

Quotuplex est doctrina?

Duplex:

Omnis doctrina est aut divinitus
inspirata, aut acquisita: Illa
Theologia; Haec philosophia dicitur

Quid est philosophia?

Philosophia est omnium artium
cognitio.

Unde dicitur philosophia?

Philosophia habet nomen à Pytha
gora, cum ante ipsum artium liberalium
professio σοφία & sapientia & professores
σοφοί & sapientes dicerentur, primus phi
losophus & sapientiae studiosus, non σοφός
& sapiens dici voluit

Quid est ars?

Ars est comprehensio præceptorum Catholicorum & Verbalium & ordine dispositorum ad vitam finem spectantium. Lucianus.

Quot sunt artes liberales?

Vulgo septem artes liberales tres logica & quatuor mathematica hoc disticho comprehenduntur:

Gram: loquitur, Dia: Vera docet, Rhe:
Verba colorat.

Mus: canit; Ar: numerat; Ge: ponderat;

Ast: colit astra.

Typus philosophia Univer-
salis peripateticus
sive Aristotelicus.

Rationem ut logica

Grammatica

Instrumenta quae designantur

Oratio

Rhetorica

Theoretica quae considerat

1. *ἄνω ὄντα*
Entia, quatenus Entia, ut Meta-physica.

philosophia considerat

Et

et philosophos

2. *ἐξ ὡραίων ὄντων*
appositione, quae sine materia non recipiunt, ut physica.

partes sunt

Et ex a, philosophos

3. *ἀφαιρέσιμων ὄντων*
abstractivae, quae licet sine materia non consistunt cogitatione tamen ab ea separantur ut sunt magnitudines & figurae ut Mathematica, Arithmetica, Geometria

practica quae consistit

Ethicam, politicam, economicam.

Typus philosophiae universalis
Lamæus.


I. Instrumenta, ratio, ut Logica.
 et, quæ verum, Grammatica
 sanz, circa, orati, ut
 onem Rhetorica

I. Universalis, quæ agit de
 universalibus, & omnes disci-
 plinas sparsis, ut Metaphy-
 sica, quæ vocalz etiam
 prima philosophia.

Philosophia est
 artium
 liberalium
 in cogni-
 tio, quæ
 verum quo-
 dam sunt.

2. ipsa phi-
 losophia, quæ est

II. parti-
 cularis
 virtus



the-
 oretica
 sive
 specu-
 lativa

theologia
 angelographia
 caelestium ut astrologia nomia
 sublimium ut physica
 continua ut Geometria
 discreta ut Arithmetica

Alia divisio.

Platonici et stoici philosophiam
dividunt in logicam, ethicam
et physicam. Per physicam
et ethicam idem intelligunt
quod per patetici per specu-
lativam et practicam. Logi-
cam tres artes dicendi, gram-
maticam, Rhetoricam et
Dialecticam.

Nonnulli philosophiam di-
vidunt ex Platone in pro-
pædiam, quæ præcursionem
quandam ad ipsas artes ad-
hibeat ut sunt artes logicæ
et Mathematicæ. Et propædi-
am, quæ sunt ipsa literati-
za ut physica specialiter
dicta, et Ethica.

FINIS De philo-
sophia in ge-
nere pro-
diotis.

RV D I M E N T A D I A
L e e t i c a p. R A M I
b r e v i t e r c o l l e
c t a .

T y p u s D i a l e c t i c a e p e r i
p a t e t i c a .

Logice
partes
sunt 2.

commu-
nis, quo
dabet no-
tiones

incom-
plexas

secundas
in libro
precedenti li-
brum

primas in li-
bro precedi-
camento rum

Enunciacione
de qua duobus
libris de In-
terpretatio-
ne.

comple-
xas

in syllogismo
de quo duobus
libris Ana-
lyticorum pri-
mum.

propria
que sunt

Apo d i c t i c a d e q u a
d u o b u s l i b r i s p o s t e r i o r
d i a l e c t i c a d e q u a
a n a l y t i c o r u m


o d u l i b r i s t o p i c o r u m .
S u p p l i c a d e q u a
d u o b u s l i b r i s f l e n d o r u m

Typus totius Dialecticæ
Rancæ.

Vide versâ pagellâ.

TYPVS TOTIVS

f. f. g. i. u. n. t. a



cid
CORRECTIONA
NEGATIVA
CONTRADICTORIA



DIALECTICAE RAMESE.

Dialectica Definitio

partes

Inventio 4.
Iudicialia 3.

causa materia

Efficiens

1) procreans
2) conservans

3) solutiva principalis.
per se materia
concreta
necessitate
positiva.

infima naturalis.
per accidens
positiva.

forma
speciem
artificialia.

consuetudine
absoluti effectum
indogmatum
ad iudicium

prædictum
locupletans
vacuus sine
esse.

disposita
affirmativa
adversa
relata
contradictoria

cia
Dispositiva
opposita
contraria

negativa
privativa

TYPUS TOTIVS, antecedens
partes consequens

Affectiones, ex qb. est

simplex } generale
 } speciale

apionati-
cūm. In
apionate
conside-
rant

Species } compositūm

B. p. l. di-
cūm

Dianoëticūm

sylogismus, cuius

Met. p. 1. } p. r. i. n. g.
 } p. r. i. n. d. g.
 } Ellipsis
 } p. r. i. n. d. u. n.
 } d. a. m. n. i.
 } i. n. v. e. r.
 } s. i. p.

DIALLECTICAE RAMEE

Affirmativum

si Negativum.

Verum & contingens
& falsum & necessarium

ale & particulare
& proprium.

& congregativum & Copulativum
& connexum

Vegetativum & discretivum
& distinctivum.

partes Antecedens & propositio
& assumptio.
& conclusio.

Affectiones & Efficit
& Redundantia affirmativus
& Inversio.

Species simplex & affectiones si Negativus.
& generalis
& specialis

Species contra proprius
& explicatus & simpliciter
& secundum

compositus
situs & 19 12.

Dispositio 12.

Rudimentorum
Dialectica Petri
Rami liber 1.

Caput 1.

Dialectica est ars bene differendi.

Caput 2.

Partes eius duae sunt: Inventio
& Iudicium.

Inventio est prima pars Dialecticae
de inventendis argumentis.

Argumentum est, quod ad ali-
quid arguendum affectum
est: quales sunt singulae rationes
solae et per se consideratae.

Argumentum est artificiale
vel ~~artificiale~~.

Artificiale, quod ex sese arguit.

Estq̄ primum vel à primo ortum
Primum, quod est sua originis.

Estq̄ simplex vel comparatum.

Simplex, quod simpliciter et ab-
solutè consideratur.

Estq̄ consentaneum vel dissen-
taneum.


Consentaneum est, quod consentit
cum re, quam arguit.


Consentit autem duobus modis,
absolutè, ut causa et effectum:


vel modo quodam, ut subiectum
et adiunctum.


[Faint, illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, arranged in approximately 25 horizontal lines. The text is written in dark ink on aged, yellowish parchment. A prominent red double-line border is visible on the left side of the page, framing the text area. The parchment shows signs of wear, including some staining and a small tear near the bottom edge.]





















































PETRI RAMI
VEROMANDUI,
Regii Professoris,
DIALECTICÆ
LIBRI DUO.

*Recens in usum Scholarum hac forma di-
stinctius & emendatius excusa.*



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCIV.

PETRI RAMI
VEROMANDI,
Regii Professoris,
DIALECTICÆ
LIBRI QUO

secundum ordinem et methodum philosophiæ
antiquæ et modernæ



HAWOVIE
und Colloquium

L 57,



PETRUS RAMUS
LECTORI S.

ARCHIMEDES (Lector)
sphaera & cylindri rationem
(in cuius inventione vehe-
mentius elaborasset) sepulcro
suo incidi voluit. Et quidem si me de vigi-
liis studiisque meis interrogas, sepulchri mei
columnnam è Logicae artis instructione desi-
derem. De caussa voti respondebunt, pri-
mò ad artis accuratorem, libri De inuen-
tione argumentorum & eorum disposi-
tione, ad iudicandum non solum ab Ari-
stotele Organici, Rhetorici, Physici, sed à
Cicerone & Quintiliano tam multi ora-
torii: in quibus universis in duorum libel-
lorum pugnum ratione viaque contrahen-
dis omni studio diligentiaque contendi-
mus, ne qua Logica particula, cuiusquam
vel umbra illic confusa esset, cuius veritas
non hic expressa teneretur. Atque hac pri-
ma problematis Archimedei conscientia
erit. Respondebunt deinde, ad Logica u-
sum, elegantiam, dignitatem paribus o-
mnibus explicandum, excitatae Logicae
meditationibus, cum populares Poetarum,

4 EPISTOLA

Oratorum, Historicorum laudes, tum liberales & ingenua artes novi corporis nova specie sui studiosis adolescentiores, praeclarisq; dotibus ornatiores & locupletiores facta: ac ne qua agrestium procorum protervia timeretur, suarum quaque scholarum tanquam liberali custodia septa & comitata. Hac secunda problematis Archimedei conscientia erit. Testis igitur isti Logicam & veritatem & utilitatem tot dierum noctiumq; vigiliis exquisitam testati, de voti nostri causa respondebunt: tequit (Lector) ut spero, communes facient, instanam nescio quam in plerisque omnibus Europa Academiis altercandi de suis praeceptis sophisticam, Logica & veritatis & utilitatis longè dissimilem esse: teq; ad veriora & utiliora praestantissima facultatis studia premiaq; inflammabunt. Ecquid verò interea turbæ tam graves objecta, theatra scenicis probris exstructa, tribunalia judicum poenis minacia, damnatio tandem foedis ignorantia calumniaq; notis infamis, è toto Philosophia regno manibus & lingua velut amputatis inaudita proscriptio, an exiguam voti nostri causam prohibebunt? Quid consecuta per Henricum Regem à judicii tam dementis invidia liberatio, & in solidam sanctioris judicii lau-

EPISTOLA. 5

cii laudē regia professio? Quid postea (cū
 logicus hic ardor in religionis causam in-
 vasisset) longē gravissima offensio, vita sa-
 lutisq; propterea tribus jam bellis civilibus
 iactatio nullā mne voti nostri causam in-
 dicabunt? imò verò etiam admonebunt,
 ut Deo optimo & maximo gratias habea-
 mus, quòd studiorum nostrorum cursum
 hoc tanquam circo agitari & exerceri, ne-
 que tamen ulla metarū conversione frangi
 voluerit. Ideoq; obtestor ut logicum lumen
 in bonis & veri percipiendi studiosis inge-
 niis accendat: cumq; ad ingenuas artes ex-
 ornandum, tum ad caelestia sacra doctrina
 mysteria illustrandum magis ac magis au-
 geat perficiatque, ut isto in nominis sui glo-
 riam epigrammate logici epitaphii

tabula concluda-
 tur.

A 3





PETRI RAMI

DIALECTICÆ

Liber primus De inventione.

Quid Dialectica.

C A P. I.

DIALECTICA est ars bene differendi, eodemque sensu Logica dicta est.

De partibus Dialectica, deque argumenti generibus, C A P. II.

Dialecticæ partes duæ sunt; Inventio & Judicium. Inventio, est pars Dialecticæ de inveniendis argumentis. Argumentum, est, quod ad aliquid arguendum affectum est: quales sunt singulæ rationes, solæ & per se consideratæ. Argumentum, est artificiale aut inartificiale. Artificiale, quod ex se arguit. Est autem primum, vel à primo ortum. Primum, quod est suæ originis. Estq; simplex, aut comparatum. Simplex, quod simpli-

simpliciter & absolute consideratur:
Estq; cōsentaneum aut dissentaneum.
Consentaneum est, quod cōsentit cum
re quam arguit: Estq; consentaneum
absolute, aut modo quodam. Absolu-
te, vt caussa & effectum.

De Efficiente, procreante & conseruante.

C A P. III.

CAussa est cuius vi res est. Itaq; pri-
mus hic locus inventionis, fons
est omnis scientiæ: sciriq; demum cre-
ditur, cuius caussa teneatur: ut meritò
dicatur à Poeta:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Causa est efficiens & materia; aut
forma & finis. Efficiens, est caussa à qua
res est: cuius etsi vera genera nulla no-
bis appareant, ubertas tamen perma-
gna modis quibusdā distinguitur: Pri-
mò quod procreet aut tueatur. Ovid. *Modi cau*
i. de Remed. *Sarum.*

Ergo ubi visus eris nostra medicabilis arte,

Fac monitis fugias otia prima meis:

Hac ut ames, faciunt; hac qua secrete, iuentur.

Hac sunt iucundi caussa cibusq; mali.

Otia si tollas, periire cupidinis arcus:

Contemptaq; jacent, & sine luce, faces.

*Sic pater & mater procreant: nutrix
suetur. 4. Æneid.*

*Procreans et
Conseruans.*

Non tibi diva parens generis, nec Dardanus auctor hori.
 Perfide: sed durus genuit te cautibus horrens
 Caucasus, Hyrcanæq; admorunt ubera tigres.

Sic Romulus conditor Romanæ ur-
 bis: Reges deinde reliqui, Consules,
 Imperatores, tutores & conservatores
 tuere.

De efficiente sola, & cum aliis,

C A P. IV.

SECUNDÓ causa efficiens sola efficit,
 Saut cum aliis: Earumque omnium
 sæpe alia principalis, alia adjuvans &
 ministra. 9. Æneid. Nisus avocat ab
 Euryalo in se factæ cædis & culpam, &
 pœnam; quia solus auctor fuerit:

*Me me; adsum, qui feci; in me convertite ferrum.
 O Rutuli; mea fraus omnis: nihil iste nec ausus,
 Nec potuit*

*Solitaria causa cum plerisq; & prin-
 cipalibus & sociis, pro Marcello variè
 adhibetur. Nam bellicas laudes (ait Ora-
 tor) solent quidam extenuare verbis, eas-
 que detrahere ducibus & communicare
 cum multis, ne propria sint imperatorum:
 & certè in armis, militum virtus, locorum
 opportunitas, sociorum auxilia, classes, cõ-
 meatus multum juvant: maximam verbò
 partem, quasi suo jure fortuna sibi vendi-
 cat;*

*Gajus pro
 H. q. d. d.
 hostes sulg*

cat; & quicquid est prospere gestum, id pe-
 né omne ducit suum. At verò hujus gloria,
 Caesar, quam es paulò antè adeptus, socium
 habes neminem: totum hoc, quantum-
 cunq; est (quod certè maximum est) totum
 (inquam) est tuum. Nihil tibi ex ista laude
 centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil
 turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum
 humanarum domina. fortuna in istius se
 societatem gloria non offert: tibi cedit, tuã
 esse totam ac propriam fatetur. Instrumē-
 ta etiam in causis adjuvantibus con-
 numerantur: quo argumento impius
 Epicurèus disputat, mundum nunquã
 esse factum. i. de Nat. Quibus enim (ait)
 oculis animi intueri potuit vester Plato fa-
 bricam illam: tanti operis, qua construi à
 Deo atque edificari mundum facit? Quæ
 molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ
 machina? qui ministri tanti operis fue-
 runt?

De efficiente per se & per accidens,

C A P. V.

Tertio, causa efficiens, per se efficit,
 aut per accidēs. Per se, quæ sua fa-
 cultate efficit: vt quæ naturâ vel con-
 silio faciunt Ventorum naturalis effi-
 cientia est i. Æneid.

A 5

Incubere mari, totumq; á sedibus imis.
 Vnâ Eurûsq; ruunt, creberq; procellis
 Africus: & vastos tollunt ad litora fluctus.

Consilii exemplû est illa Ciceronis de se confessio: Suscepto bello, Caesar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus sum quæ erant sumpta contra te.

Per accidēs efficit causa, quæ externa facultate efficit: vt in his quæ fiunt necessitate vel fortunâ. Necessitate, cum efficiens vi cogitur ad effectum: qualis est Pompejanorû excusatio. *At mihi quidem (ait Orator) si proprium eorum nomen nostri mali queratur, fatialis quedam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse, ut nemo mirari debeat humana consilia, divina necessitate esse superata.*

Fortuna est causa per accidēs, quando præter efficiētis scopum aliquid accidit. Sic casu fortuito (ait Tullius 3. de Nat. Deorum) Pheræo Iasoni profuit hostis, qui gladio vomerem ejus aperuit: quod sanare medici non poterant. In hoc genere causarum imprudentia connumerari solet. Ovid 2. Trist.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
 Cur imprudenti cognita culpa nobis est?

Inscitib

Inscius Actæon vidit sine veste Dianam:

Præda suis canibus nec minus ille fuit.

Scilicet in superis etiam fortuna luenda est:

Nec veniam, læso numine, casus habet.

Hinc sumitur deprecatio; qualis est
pro Ligario: Ignosce pater, erravit; lapsa
est; non putavit; si unquã posthac. Et paulo
post: Erravi; temerè feci; pœnitet; ad cla-
mentiam tuam confugio; delicti veniam
peto; ut ignoscas oro. Fortune autè no-
men ignoratio caussarũ confinxit: cum
enim aliquid præter consilium spemq;
contigerit, Fortuna vulgò dicitur: nec
in scite Juvenalis;

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, deam, calog, locamus.

De Materia, CAP. VI.

Materia, est causa ex qua res est.
Hoc argumẽto ficto, apud Ovid.
2. Metam. Solis domus auro, pyropo,
ebore, argento componitur.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,

Clara micante auro flammisq; imitante pyropo:

Cujus ebur nitidum fastigia summa tegebant:

Argenti bifores radiabant limine valva.

Cæsar 1. bel. civil. *Imperat militibus*
Cæsar, ut naves faciant, cujus generis eam
superioribus annis usus Britannia docue-

*Impri
dextia.*

rat: carina primùm ac statumina ex leui materia fiebant, reliquum corpus navium viminibus contextum, coriis integebatur.

De Forma, C A P. VII.

Causa primum genus ejusmodi est, in efficiente & materia: secundum sequitur, in forma & sine. Forma, est causa, per quam res est, id quod est: idcoq; hinc à cæteris rebus distinguitur: & forma simul cum re ipsa ingeneratur. Anima rationalis, est forma hominis: quia per eam homo est homo, & à cæteris omnibus naturis distinguitur. Geometricarum figurarum, in triangulis, quadrangulis sua forma est. Phisicarum rerum, cæli, terræ, arborum, piscium sua forma est. Unde præcipua rerum ut natura est, sic erit explicatio, si possit inveniri: ut in artificiosis rebus facilius occurret. Cæsar 7. Muri autem omnes Gallici hæc, ferè forma sunt: trabes directæ perpetua in longitudinem, paribus intervallis distantes inter se binos pedes, in solo collocantur: hæc revincuntur introrsus & multo aggere vestiuntur. ea autem, quæ diximus, intervalla grandibus in fronte saxis effarciuntur. His collocatus & coagmentatis aliis insuper ordo adjici-

Essentialis

Accidentalibus

adjicitur, ut idem illud intervallum servetur, neque inter se contingant trabes: sed paribus intermissa spatiis, singula singulis saxis interjectis arcte contineantur: sic deinceps omne opus cōtextitur, dum justa muri altitudo expleatur: hoc cū in speciem varietatemque opus deforme non est, alternis trabibus ac saxis, quae rectis lineis suos ordines servant: tum ad utilitatem et defensionem urbium summam habet opportunitatem: quod et ab incendio lapis, et ab ariete materia defendit: quae perpetuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrsus revinctā neque perrumpi, neque distrahi potest. Sic forma Virgiliani portus explicatur *Æneid. I.*

Est in secessu longo locus: insula portum
 Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
 Fragitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
 Hinc atque hinc vasta rupes, geminique minantur
 In caelum scopuli, quorum sub vertice late
 Aequora tuta silent: tum sylvis, scena coruscis
 Desuper, horrentiq. atrum nemus imminet umbræ
 Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum.
 Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo,
 Nympharum domus: hic fessas non vincula naves
 Villa tenent: unco non alligat ancora morsus.

De Fine, C A P. VIII.

Finis est causa, cujus gratiâ res est.
 Physicis rebus finis homo propo-

tus est homini Deus. Omnium arrium
 est aliquod summum bonū & finis ex-
 tremus: ut Grammaticæ, bene loqui:
 Rhetoricæ, bene dicere: Logicæ, bene
 differere. Juno i. Æneid connubii finē
 assumit, cūm Æolo Deiopejā pollice-
 tur, solatii scilicet prolisq; gratia:

*Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphae,
 quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopejam
 Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo,
 Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
 Exigat, cæc pulchra faciat te prole parentem.*

*Consequi
 nis: Cabel
 tao, 1920
 lis præce
 v. at.*

In defensione Ligarij Cicero Tube-
 ronem accusatorem urget, cūm armo-
 rum contra Cæsarem susceptorum fi-
 nem premit: Et certē (ait) contra ipsūm
 Cæsarem est cōgressus armatus. Quid enim
 Tubero tuus ille districtus in acie Pharsa-
 lica gladius agebat? cuius latus ille mucro
 petebat? quis sensus erat armorum tuorū?
 quæ tuamens? oculi? manus? ardor ani-
 mi? quid cupiebas? quid optabas?

De Effectu, CAP. IX.

Effectum est, quod ē causis existit.
 Sive igitur gignatur, sive corrup-
 patur; sive modo quolibet moveatur
 quidlibet; hic motus & res motu fa-
 cta, effectum dicitur. Hujus loci sunt
laudes & viruperationes, quarum ple-
mitum

ni sunt libri sacri & profani. Æneid. 6:
facta variorum populorum comparatur
ad nominis Romani laudem:

*Excudent alii spirantia mollius ara;
Credo equidem ducent vivos de marmore vultus,
Orabunt causas melius, calig. meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem;
Parcere subjectis, & debellare superbos.*

Huc dicta scriptaq; referenda sunt.
Pericles & Hortensius benedicendi lau-
de celebrantur; eodemque argumento
Demosthenes & Cicero, etiã bene scri-
bendi. Ad hunc locum referuntur con-
silia & deliberationes, etiam si omnino
ad exitum perductæ non fuerint. Par-
meno & Philotas morte multati sunt,
quia conjurationis in Alexandrum es-
sent suspecti: ut Curtius & Arrianus
meminerunt. De Lentulo & Cethego
aliisq; Catilinæ popularibus, Romani
Senatus judicio supplicium sumptum
est. Sunt etiam effecta virtutum & vi-
torum. Horatius hoc modo ebrieta-
tis effecta describit:

*Quid non ebrietas designat? aperta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem:
Solicitatis animus onus eximit, ac docet artes.
Facundi calices quem non fecere disertum?
Constrata quem non in paupertate solutum?*

De subiecto, C A P. X.

Argumentum modo quodam cō-
sentaneum succedit, ut subiectum
& adjunctum. Subiectum, est cui ali-
quid adjungitur. Anima, est subiectum
scientiæ, ignorantia, virtutis, vitii: quia
hæc præter essentiam accedunt; cor-
pus, sanitatis, morbi, roboris, infirmi-
tatis; pulchritudinis, deformitatis.
Homo, subiectum est divitiarum, pau-
periarum; honoris, infamiae; vestitus,
comitatus. Locus, est subiectum rei lo-
care. Sic Philosophi divinis entibus, li-
cèt parte & magnitudine carentibus,
attribuunt locum. Sic Geometræ locū
loqi; differentias in rebus Geometri-
cis. Sic Physici multo etiam diligentius
in reb. physicis considerant: in mundo,
in elementis simplicibus, in rebus cō-
positis. Sic Virgilius in Georgicis suum
quemque propositis rebus locum deli-
gendum admonet: vt segetibus, arbo-
ribus, vitibus, pascuis:

*At prius ignotum ferro quam scindimus aquor,
Ventos & varium cali pradisce e morem
Cura sit, ac patrios cultusq; habitusq; locorum:
Et quid quæq; ferat regio, & quid quæq; recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicitus uva:
Arbori fœtus alibi, atq; in iussa virescunt
Gramina*

Sensu-

Sensilia sensuum, & res virtutibus ac
 vitiis propositæ, subjecta viriorum &
 virtutum hoc modo nominantur. Co-
 lor est subjectum visus; sonus, subjectū
 auditus: quia hi sensus in his sensilib.
 occupantur & exercentur. Virtutes &
 vitia declarantur in Ethicis hoc argu-
 mento: temperantia & intemperantia
 voluptate; magnanimitas & ignavia
 periculo; liberalitas & avaritia divi-
 tiis. Sic res numerabilis, Arithmeticæ:
 mensurabilis (ut ita dicam) Geometriæ
 subijcitur. Ejusmodi subjecto Cicero
 2. Agrar. disputat, inter Campanos nul-
 lam contentionem esse; quia nullus sit
 honor. *Non gloria cupiditate (ait) effere-
 bantur; propterea quod ubi honos publicè
 non est, ibi cupiditas gloria esse non potest:
 non contentione nec ambitione discordes;
 nihil enim supererat; de quo certarent, ni-
 hil quod contrá peterent; nihil ubi disside-
 rent.* Eodem argumento à Propertio
 dictum est:

*Navita de ventis, de tauris narrat arator:
 Enumerat miles vulnera, pastor oves.*

De adjuncto, C A P. XI.

Adjunctum est, cui aliquid subji-
 tur: quod argumentum et si subje-

Et est leuius, attamen est copioſius & frequentius. Itaque de ejuſmodi ſignis ait Ouid. 2. de Remedio:

*Forſitan hec aliquis (nā ſunt quęq;) parua uocabit:
Sed quę non profunt ſingula; multa iuuant.*

Animi corporiſq; & totiuſ hominiſ bona & mala, quę dicuntur, adiuſta ſunt animi, corporiſ, hominiſ: Deniq; quicquid ulli ſubjecto extrinſecus acſidit, adiuſtum ejuſ eſt. Ut autem locus eſt in ſubjectiſ; ſic tempuſ eſt in adiuſtiſ; duratio nempe reruſ, præterita, præſentia, futura: omninoq; qualitateſ ſubjectiſ præter cauſaſ adiuſtaſ: ſiue propria ſint, quę omni, ſoliq; ſubjecto ſemper conueniunt; ut homini, riſuſ; equo, hinnituſ; cani, latratuſ: ſive communes, quęcunq; non ſunt eomodo propria. Hoc genere argumeti Fanniuſ Chæream Cicero pro Roſcio Comædo cauillatur: Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penituſ abraſa, olere malitiã, & clamitare calliditateſ uidentur? Nonne ab imiſ unguibuſ uſq; ad uerticem ſummum (ſi quã coniecturã affert homini tacita corporiſ figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totuſ uidetur? qui idcirco capite & ſupercilliſ ſemper eſt raſiſ, ne pilum ullum uiri boni habere

habere dicatur. Sic Martialis 2. lib. Zoilum ludit:

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus:
Rem magnam praestat, Zoile, si bonus es.*

Sic vestitus & comitatus res adjunctae sunt: quo circumstantiae genere.
Dido venatum proficiscens, magnificè.

4 Æneid depingitur:

*Oceanum interea surgens aurora reliquit,
It portis jubare exorto delecta Juventus:
Retia rara, plaga, lato venabula ferro;
Massylig, ruunt equites, & odora canum viri.
Reginam thalamo cunctantem, ad limina prius
Pænorum expectant: ostrog, insignis & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandat.
Tandem progreditur magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines nodatur in auribus:
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.*

Est verò adjunctorum ad subjecta, quibus occupantur, usus item magnus. Hoc argumēto Plato miseras ciuitates auguratur, quæ medicorū & iudicum multitudine indigeant: quia multam quoq; & intemperantiam & iniustitiam in ea civitate versari necesse sit.

Sed consentaneorum categoria sic est, unde quidvis alteri consentaneum, vel idem vel unum dici possit: omnesq; modi unitatis, & ut ita dicam, idētitatis, huc sunt tāquam ad primos & simplices fontes referendi.

De Diversis, C A P. XII.

Argumentum primum consentaneum expositum est: Dissentaneū sequitur, quod à re dissentit: sunt autē dissentanea inter se equè manifesta, alterumq; ab altero æqualiter arguitur: tamen si sua dissensione clariùs clucescant. Dissentanea sunt diuersa vel opposita. Diuersa sunt dissentanea, quæ solâ ratione dissentiunt. Quo de genere sunt illa frequentissima: Non hoc, sed illud: Quamquam, Tamen. Pro Pompejo: Non victoriam, sed insignia victoria reportarunt. Ouid. 2. de Arte: Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

1. Æneid. Hic Priamus, quamquam in mediâ iam morte tenetur:

Non tamen abstinuit. ———

Paulò secus in Eunucho :

Nam si ego digna hac contumelia Sum maximè; at tu indignus qui faceres tamen.

Item alia aliusmodi. Pro Lig. **Scelus tu illud vocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc caussa caruit. Alii enim errorem appellant, alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui grauissimè, temeritatem: scelus, præter te adhuc nemo.**

De

De Disparatis, CAP. XIII.

Opposita sunt dissentanea, quæ ratione & re dissentiunt. itaq; eidẽ attribui, secundum idem, & ad idem, & eodem tempore nõ possunt: Sic Socrates albus & ater non potest eadem parte esse: pater & filius ejusdem: sanus & æger eodẽ tempore: At albus esse potest alia parte & ater alia: pater hujus, filius illius: sanus hodie, cras æger. Itaque ex altero affirmato alterum negatur. Opposita sunt disparata, aut contraria: Disparata sunt opposita, quorũ unum multis pariter opponitur: vt, viride, cineraceum, rubrum, media sunt inter album & nigrum, quæ singula extremis, & inter se disparata sunt. Sic liberalitas & avaritia inter se disparantur. Sic homo, arbor, lapis, & ejusmodi res infinitæ disparantur: nec eadem res potest esse homo, arbor, lapis. Virgil. i. Æneid. hoc argumento disputat: *O quam te memorẽ virgo? namq; haud tibi vultus Mortalis; nec vox hominem sonat: o dea cersẽ.*

De Relatis, CAP. XIV.

Contraria sunt opposita, quorum cunũ unũ tantũ opponitur: suntq;

affirmantia aut negantia. Affirmantia, quorum utrumq; affirmat, ut relata & adversa. Relata, sunt contraria affirmantia, quorum alterum cōstat ē mutua alterius affectione: atque inde nominata sunt *relata*: ut, pater qui filium habet: & filius qui patrem habet: & ob hanc mutuam relationis causam, relata dicuntur simul esse naturā, ut qui alterum perfectē norit, norit & reliquum. Pro Marc. *Ex quo perfectō intelligis, quantā in dato beneficio sit laus, cūm in accepto tanta sit gloria.* Martialis in Sossibianum lib. 1.

*Tum servum scis te genitum blandeq; fateris,
Cūm dicis dominum, Sossibiane, patrem.*

Sic apud Quintilianum lib. 5. cap. 10. *Si portorium Rhodiis locare honestum est; & Hermacreonti cōducere. Quomodo & in Oratore perfecto Tullius: Num igitur est periculum (ait) nequis putet in magna arte & gloriosa turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestum discere? Studium verō quoddam, suum Cicero ē relatis illis in Oratore prodidit: Jam illa (inquit) matura: uxor generi, noverca filii, filia peltex. Quod idem in ferrea ætatis descriptione Ovidius apertius affectavit i. Metamorph.*

Nota

Non hospes ab hospite tutus,
 Non sicer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.
 Imminet exitio vir conjugis ; illa, mariti ;
 Lurida terribiles miscent aconita noverca :
 Filius ante diem patrios inquirat in annos.

Atqui argumentum talis relationis
 contrariū nihil habet, imó arguit mu-
 tuas causas : ut, sum tuus pater ; tu es
 igitur meus filius. at cū dico, sum tu-
 us pater, nō igitur sum tuus filius; tum
 contraria verē sunt.

De Adversis, C A P. XV.

Adversa sunt contraria affirman-
 tia, quæ inter se velut è regione
 perpetuò adversantur. *Æneid. II.*
Nulla salus bello ; pacem te poscimus omnes.

Sic albor & nigror, calidum & frigi-
 dum, virtus & vitium opponuntur. Pa-
 rad. 2. contra Epicureos : *Illud tamen
 arctè tenent, accuratèq; defendunt, volu-
 ptatem esse summum bonum : quæ qui-
 dem mihi vox pecudum videtur, non ho-
 minum. Tu cū tibi sive Deus, sive ma-
 ter (ut ita dicam) rerum omnium natura
 dederit animum, quo nihil est prestantius,
 neq; divinius : sic te ipse abicies ac proster-
 nes, ut nihil inter te, atq; inter quadrupedē
 interesse putes ? Pecudem & hominē ad-
 versa Cicero opposuit : voluptas pecu-*

dis bonum est ; non igitur hominis.
Sic libertas & servitus, apud Tibullum
2. lib.

*Sic mihi servitium video dominamq; paratam :
Tu mihi libertas illa paterna vale.*

Pro Marc. *Nunquam enim temeritas
cum sapientia commiscetur, nec ad consili-
um casus admittitur.*

De contradicentibus, CAP. XVI.

Contraria negantia sunt, quorum
alterum ait, alterum negat idem :
eaq; sunt contradicentia, aut privan-
tia. Contradicentia sunt contraria ne-
gantia, quorum alterum negat ubiq; ;
ut, justus, non justus : animal, non ani-
mal : est, non est, sunt contradicentia.
Sic in defensione Murenæ contradici-
tur sententiis Catonis & Ciceronis : il-
lius Stoici ; hujus, Academici. Dialo-
gus est his verbis : *Nihil ignoveris : imò
aliquid, non omnia. Nihil gratia caussa fe-
ceris : imò ne resistito gratia, cum officium
& fides postulabit. Misericordia commotus
ne sis ? etiam in dissolvenda severitate, sed
samen est aliqua laus humanitatis. In sen-
tentia permaneto : enim vero nisi sententia
alia vicerit melior.* Martialis lib. 1.

Bella

Bella es, novimus: & puella, verum est:
 Es dives, quis enim potest negare?
 Sed dum te nimium, Fabulla, laudas:
 Nec dives, neq; bella, nec puella es.

Cicero l. Tusc. cogit hoc argumento.

Atticum Epicureum fateri mortuos miseros non esse, si omnino nulli sint, ut Epicurei credebant. Jam mallem (ait) Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres. Atticus. Quid tandem? Marcus. Quem esse negas, eundem esse dicis? Ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum qui non sit, esse dicis. Tum post longam disputationem Atticus ait: Age, jam concedo non esse miseros qui mortui sunt: quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse. Sic Terentianus Phædria Dori Eunuchi dictum elevat, quod affirmasset prius, post inficiaretur:

Modo ait, modo negat.

De privantibus, C A P. XVII.

Privantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tatum subjecto, in quo affirmatum suapte natura inest. Atque hic affirmatum, dicitur habitus; negatum autem, privatio. Sic motus & quies. Sic ebrius & sobrius: Martial. lib. 3.

Ebrius es: nec enim faceres hac sobrius unquam.
 Sic cæcum esse, & videre. Pro Cælio:
Existat igitur ex hac familia aliquis, ac pot-
riissimum cæcus ille: minimum enim dolo-
rem capiet, qui istam non videbit. Sic pau-
 per & dives opponuntur apud Martia-
 lem lib. 5.

Semper eris pauper, si pauper es, Emiliane:
Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus.

Talia sunt mors & vita in Miloniana:
Hujus mortis sedetis ultores, cujus vitam si
puteris per vos restitui posse, nolitis? Item
 tacere & loqui. i. Catil. *Quid expectas au-*
thoritatem loquentium, quorum voluntate
tacitorum perspicis? Pro Marc. Doleo,
cum respub. immortalis esse debeat, eam in
unius mortalis anima consistere. Sed dis-
 sentaneorū categoria sic est; unde quid-
 vis ab altero differre quolibet modo
 possit.

De Paribus, C A P. XVIII.

Argumenta simplicia ita fuerunt in
 consentaneis & dissentaneis: com-
 parata sunt, quæ inter se comparantur:
 quæ tamen ipsa comparationis natura
 æquæ nota sint, attamen alterum altero
 alicui notius & illustrius esse potest: sæ-
 peque notis brevius indicantur; aliqua-
 do par

30 partibus plenius distinguuntur: quæ
Propositio, Redditioq; nominantur: atque
 omnino comparata etiam ficta arguunt
 fidemque faciunt. Comparatio est in
 quâritate vel qualitate: *Quantitas*, quâ
 res comparatæ quantæ dicuntur. Estq;
 parium vel imparium. Paria sunt, quo-
 rum est una quantitas: Argumentum i-
 gitur paris est, cùm par explicatur à pa-
 ri; ejuſq; notæ sunt par, æquale, æquare,
 idem, quod, tam, quàm; tantò, quantò,
 tot, quot, & non magis, non minus. Vir-
 gil. *Æneid* 2.

— *Par levibus ventis,*

Æneid 3. *Et nunc aquali tecum pubesceret a vo.*

Æneid 6. *En hujus nate auspiciis, illa inclytæ Roma
 Imperium terris animos aequabit olympo.*

Propositio deinde *reditioq;* distin-
 guuntur. 4. *Cat.* *Cujus res gesta atq; virtu-
 tes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac
 terminis continentur.* *Æneid* 4.

Tam ficti praviq; tenax quàm nuntia veri.

Catull. *Tantò pessimus omnium poeta:*

Quantò tu optimus omnium patronus.

Ovid. 5. *Trist.*

Litora quot conchas, quot amana rosaria flores;

Quotq; soporiferum grana papaver habet:

Silva feras quot alit, quot piscibus unda natatur:

Quot tenerum pennis aera pulsat avis:

Tot premor adversis: quæ si comprehendere coner,

Icaria numerum dicere coner aquæ.

9. Philip. Neq; enim ille magis juris confultus, quam iustitia fuit: Itaq; qua proficiscabantur á legibus & á jure civili, semper ad facilitatem & equitatemq; referebat: neq; constituere litium actiones malebat, quarum controversias tollere Ovid. 2. de Arte:

Non minor est virtus quam querere parta tueri.

Pro Mur. Paria cognosco esse ista in L. Murana, atque ita paria, ut neq; ipse dignitate vinci potuerit, neque te dignitate superavit. 2. Philip. Quorū facinus cōmune, cur non eorum praeda communis? Ter. in Adel.

Quando ego non curo tuum, ne cura meum,

Hujus verò loci sunt consecraria illa & contrariis quidem orta, sed pariū colatione tractata: ut Martialis illud:

Tum servum scis te genitum, blandeq; fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Ovid. 1. Fast.

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias: pauper ubiq; jacet.

Ex adversis sunt frequentiora. Cic. pro Sylla: Neque verò quid mihi irascere, intelligere possum. Si quod eum defendo, quem tu accusas: cur tibi quoque ipse non succenseo, qui accuses eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum: & amicum (inquam) ego defendo meum. Sic s. Tusc. Quod cum fateantur satis magnam vim esse in vitis ad miseram vitam, nonne faten-

desse

dum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam: Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Sic interdum lacesciti par pari reponimus: qualis est Ecl. 3. apud Virgilium contentio pastorum: Damocetæ, primò hoc ænigma proponentis;

*Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cali spatium, non amplius, ulnas.*

Et Menalcæ alterum ænigma reponentis;

*Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.*

Paria verò ficta sunt illa apud Æschinem Socraticum, quibus demonstrat Socrates cum Xenophontis uxore & cum Xenophonte ipso Aspasiam locutam. Dic mihi quaeso Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum quàm tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Et si vestem, & ceterum ornamentum muliebri pretii majoris habeat, quàm tu habes, tuàmne an illius malis? Illius verò respondit. Age verò, si virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, an illius malis? Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit: Quaeso, inquit, si vicinus tuus meliorem equum habeat quàm tuus est, tuàmne equum malis an illius? Illius, inquit. Quod si me-

liorem fundum habeat, quàm tu habes, utrum tandem illius malis? Illius, inquit, meliorem, scilicet. Quòd si uxorem meliorem habeat, quàm tu habes, utrum illius malis? Atque hic Xenophon quoq; ipse tacuit.

De Majoribus, C A P. XIX.

Imparia sunt, quorum quantitas non est una. Impar est majus aut minus. Majus est, cujus quantitas excedit. Propriæ notæ sunt hujus rationis: Non solum, sed etiam: Malo hoc, quàm illud; plusquàm: item per comparationem Grammaticam. Cicero pro Muræna;

Tollitur é medio —

non solum ista verbosa simulatio prudentiæ, sed etiam illa domina rerum,

— sapientia: vi geritur res:

Spernitur orator —

non solum odiosus in dicendo, aut loquax, verum etiam

— bonus, horridus miles amatur.

Hinc sumitur logica quædam gradatio, climaci rhetorico interdum cõjuncta. Pro Milone: *Neque verò se populo solum, sed etiam Senatui tradidit: neq; Senatui modò, sed etiam publicis præsidiis & armis: neq; his tantum, verum etiam ejus potesta-*

restati, cui Senatus totam Rempub. omnem
Italia pubem, cuncta populi Romani arma
commiserat. Juvenalis Satyr. 8. adversus
gloriosum nobilem :

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacida similis, Vulcaniaq; arma capeffas ;
Quam te Thersita similem producat Achilles.

Pro Marc. Plus admirationis habitura
quàm gloria. Æneid. 1.

O soci (neq; enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora: dabit Deus his quoq; finem.

Cic. pro Mur. Noli tam esse injustus, ut
cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, no-
stros rivulos etiam amicis putes clausos esse
oportere. Hinc illa gradatio est, sine cli-
mace Rhetorico apud Terent.

Thr. Magnas verò agere gratias Thais mihi ?

Gn. Ingenies. Thr. Ain tu ? Lata est ?

Gn. Non tam ipso quidem Dono, quàm abs te da-
tum esse: id verò serio Triumphat.

Ficta verò majora etjam plurimùm
valent. Terent. Heaut.

Satrapes si fiet

Amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat,
Nedum tu possis. 5. Æneid.

Magnanime Ænea, non si mihi Iupiter author

Spondeat, hoc sperem Italiam contingere celo ;

Mutati transversa fremunt, & vespere ab airo

Consurgunt venti, atq; in nubem cogitur aer.

Nec nos obniti contra, nec tendere tantum,

Sufficimus.

De Minoribus, C A P. XX.

Minus est, cujus quãtitas excedit. Minus autem sæpe indicatur propriis notis, ut non solum, sed ne: potius hoc, quã illud: cum, tum: item per Grammaticam comparationem: deniq; per negationem parium. Cic. 2. Catil. *Nemo non modò Roma, sed ne ullo in angulo totius Italiae oppressus are alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciverit.* 1. Catil. *Ut exul potius tentare, quã consul vexare Rempub. possis.* 2. Agr. *Qua cum omnibus est difficilis & malaratio, tũ verò mihi præter ceteros.*

Ovid. 3. de Trist.

*Savior es tristi Busiride, savior illo
Qui falsum lento torruit igne bovem.*

Ovid. 1. Remed.

*Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec sitiens ora levabis aqua.*

*Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.*

Atque hujus ejusdem speciei sunt hæc formulæ, quæ fiunt negatione parium. Philippica 9. *Omnes ex omni atate qui in hac civitate intelligentiam juris habuerint, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpitio non sunt conferendi.* Cat. 2. *Quantum illi qui Catilinam Massiliam ire ditant,*

Etiant, non tam hac queruntur quam ve-
rentur. Pro Muræna: Quod enim fretum,
quem Euripum tot motus, tantas, tam va-
rias habere putatis agitationes fluctuum:
quantas perturbationes, & quantos astus
habet ratio comitiarum? Aliquando nota
nulla est. Pro Marcel. Tantum abes á per-
fectione maximorum operum, ut fundamē-
ta, qua cogitas, nondum jeceris. Pro Archia:
Saxa & solitudines voci respondent: bestia
sæpe immanes cantu flectuntur atque consi-
stunt: nos instituti rebus optimis, non poeta-
rum voce moveamur? 7. Ver. Gradatio
illa est á minoribus. Facinus est, vincire
civem Romanum: scelus, verberare: propé
parricidium, necare: quid dicam, in crucem
tollere? Finguntur etiam minora. Vir-
gil. Ecl. 1.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,

Et freta desituent nudos in littore pisces:

Ante pererratis amborum finibus, exul

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Ti-

grim,

Quam vestro illius labatur pectore vultus.

2. Philip. O rem non modó visu sædam,
sed etiam auditu! Si inter cenam in tuis
immanibus illis poculis hoc tibi accidisset,
quis non turpe duceret? in coetu veró populi
Romani negotium publicum gerens, magi-
ster equitum, cui ructare turpe esset, is vo-

*mens frustus esculentis vinum redolentibus,
gremium suum & totū tribunal implevit.*

De Similibus, C A P. XXI.

ADhuc comparatio in quātitate fu-
it, sequitur comparatio in qualita-
te, quā res comparatæ quales dicuntur:
nēpe similes aut dissimiles. Similia sunt,
quorum est eadem qualitas: similitudo
proportio dicitur, ut similia proportio-
nalia. Notæ similitudinis quæ uno ver-
bo concluditur, sunt, Similis, Effigies,
More, Instar, Tanquam, Sicuti: tum ne-
gatio dissimilitudinis, Haud secus, non
aliter. i. Æneid.

Os humerosq; Deo similis —

9. Phil. *Quanquam nullum monimen-
tum clarius Servius Sulpicius relinquere
potuit, quā effigiem morum suorum, vir-
tutis, constantia, pietatis, ingenii, filium.
i. Trist.*

*Namq; ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solutus Achilleo tollere more potest.*

In Pi. *Unus ille dies mihi quidem instar
immortalitatis fuit, quō in patriam redii.
Ver. i. Sed repenti ē vestigio ex homine, tan-
quam aliquo poculo Circao, factus est ver-
res. Pro Pompejo: Itaque omnes quidem
nunc in his locis Cn. Pompejum sicut aliquē
not.*

non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur. 3. Æneid.

Haud secus ac iusti, faciunt —

Terentius in Phor.

Ego isti nihilo sum aliter, ac fui.

Similitudinis partes deinceps explicantur, & quidē disjunctē vel continuē. Similitudo disjuncta est, quando termini quatuor re ipsa distinguuntur. Ecl. 5.

*Tale tuum carmen nobis divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine.*

Carmen ad auditorem, ut sopor ad fessum, termini quatuor distincti sunt. Ad Frat. 1. *Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis: sic sapientissimi viri, fortuna impetum per sepe superare non possunt. Hic quatuor sunt item terminis, ut gubernator ad tempestatem, sic sapiens ad fortunam. 1. Trist.*

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum:

Tempore sic duro est inspicienda fides.

Cicer. 2. Phil. *Sed nimirum ut quidam morbo & sensus stupore suavitatem cibi nō sentiunt: sic libidinosi, avari, facinorosi, vera laudis gustum non habent. Virgilius fecerat hos versus:*

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:

Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.

B 6

Batyllus arrogaverat sibi, præmiū-
que magnum erat adeptus. His igitur
similibus Batyllum Virgilius lusit :

*Hec ego versiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves :
Sic vos non vobis mellificatis apes :
Sic vos non vobis vellera fertis oves :
Sic vos non vobis fertis aratra boves.*

Aliquando nulla prorsus est nota. Vir.
Eclog. 2.

*O formosè puer, nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*

Continua similitudo est, quando est
ut primus terminus ad secundum, sic se-
cundus ad tertium. 3. Leg. Videtisne ma-
gistratus hanc esse vim, ut præsit, præscribat
recta & utilia & conjuncta cum legibus? ut
enim magistratibus leges, ita populo præsumt
magistratus. Hic termini sunt tres: lex,
magistratus, populus.

Ficta similitudo parem vim habet su-
perioribus illis, sed præcipuè in hac ex-
plicata similitudine Æsopici apologi
excellunt. Horat. 1. Epist.

*Quod si me populus Romanus fortè roget, cur
Non ut porticibus, sic iudicis fruor iisdem,
Nec sequar, aut fugiam qua diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes agro cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.*

De Dissa-

De Dissimilibus, C A P. XXII.

Dissimilia sunt comparata, quorum qualitas est diversa. Dissimilitudinis propriæ notæ sunt, dissimile, dispar, differens, aliud, secus. Pro Planc. *Quantum dissimilis est debitio pecuniæ & gratiæ.* Ennius:

O domus antiqua, heu quam dispari dominare domino!

Cæsar 1. bel. Gall. *Hi omnes linguâ, institutis, legibus inter se differunt.* 2. Agrar. *Alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur.* Cicer. 2. Nat. *Quoniam cepti secus agere atq; initio dixeram.* Dissimilitudinis notæ etiam sunt per negationem similium. 3. de Orat. *Non est philosophia similis artium reliquarum.* 2. Æneid. *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles, Talis in hoste fuit Priamo* ———

Horat. 1. Epist.

Non eadem est ætas, non mens ———

1. ad Frat. *Sit anulus tuus, non tanquam vas aliquod, sed tanquam ipse tu.* 3. Philip. *Certus dies non ut sacrificii, sic consilii expectari solet.* Hoc argumento pastor ille errorem suum confitetur:

*Vrbem quam dicunt Romam, Melibææ, putavi
Sivultus ego, huic nostræ similem.* ———

Et mox:

*Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram; sic parvis componere magna solebam.*

Ut nec canibus catuli, nec matribus
hædi: sic nec Mantua Romæ similis est.
Nota plerunq; nulla est & dissimilitudo
plenius explicatur. Quintil. lib. 5. cap. 11.
*Brutus occidit liberos prodicionem molien-
tes, Manlius virtutem filii morte multa-
vit. Catullus:*

*Soles occidere & redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.*

De Conjugatis. C A P. XXIII.

HActenus prima argumenta sunt ex-
posita: sequuntur orta de primis;
quæ perinde sunt ad id quod arguunt,
sicut prima unde oriuntur; ut conjuga-
ta & notatio: distributio & definitio.
Conjugata, sunt nomina ab eodẽ prin-
cipio variè deducta, ut justitia, justus,
justé. In conjugatis symbolum est con-
sentaneorum argumentorum. Propert-
ius lib. 2.

*Libertas quoniam nulli jam restat amanti:
Nullus liber erit, si quis amare velit.*

Hic libertas, causa est, cur sis liber.
Cic. 3. de Nat. Deorum, cum de Dionysio
Tyranno loquitur: *Jam mensas argentæas
de omnibus delubris jussit auferri, in quibus
quod*

quod more veteris Græciæ inscriptum esset,
 BONORUM DEORUM, uti eorum boni-
 tate velle se dicebat. Dii boni sunt: eorum
 igitur bonitate est utendum. Hic ex effe-
 ctis ad causas est disputatum. Teren-
 tium.

Homo sum, humani à me nihil alienum puto.

Ex subjecto est ad adjunctum. Contrà
 Phil. 2. Non tractabo ut consulè, ne ille qui-
 dem me ut Consularem. In Pison. Cùm esset
 omnis illa causa Consularis & Senatoria,
 auxilio mihi opus fuerat & Consul & Se-
 natus.

De Notatione, CAP. XXIV.

Notatio est nominis interpretatio:
 nomina siquidem sunt notæ rerû;
 nominumq; vel derivatorum, vel com-
 positorum; si vera notatione fiant, ratio
 reddi potest ex aliquo argumento pri-
 mo: ut homo ab humo. Ovid. 6. Factor.

Stat vi terra sua; vi stando Vesta vocatur.

Ex causa est notatio.

At focus à flammis & quod sovet omnia, dictus.

Ex effectis est notatio.

Item 4. Ver. O Verrea præclara! Quò e-
 nim accessisti, quò nõ attuleris tecum istum
 diem? Etenim quam tu domum, quam ur-
 bem adisti, quod sanum denique, quod non
 eversum atque extersum reliqueris? Quare

appellentur sanè ista Verrea, qua non ex nomine, sed ex moribus, naturaq; tua constituta esse, videantur. Ex effectis item est notatio. Ovid. 1. Fast.

Prima dies tibi Carna datur, de a cardinis hæc est:

Nomine clausa aperit, claudit aperta suo.

Hic est notatio è subjecto cardine, circa quem numen deæ exercetur. At ex adjunctis notatio est Bambalionis 2. Phil. quia balbus & stupidus: hinc igitur cavillatio in Antonium generum: *Tua cõjugis, bona fœmina, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius: qui propter hæsitantiam lingua stuporemq; cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Ex adjunctis est notatio. E dissentaneis autem sunt illa apud Quintilianum libro primo capite sexto: *Lucus, quia umbra opacus, parum luceat: & Ludus, quia sit longissimè à lusu: & Dis, quia minimè dives.* Potest etiam è comparatis esse notatio: ut Pyropus, quòd ignis flammam imitetur. Est verò ut notationi ad suum nomen, sic nomini ad notationem sua affectio: ut, Animi plenus, ergo animosus: & contrà, Animosus, ergo animi plenus.

De Distributione, CAP. XXV.

Reli-

Reliquum est ex ortis aliunde argu-
 mentis argumētum distributionis
 & definitionis: in qua utraq; affectio re-
 ciprocationis est, illic partium omnium
 cum toto; hīc definitionis cū definito.
 Distributio est, cū totum in partes dis-
 tribuitur. Totum est, quod continet
 partes. Pars est, quæ continetur à toto.
 Atq; ut distinctio totius in partes, *Distributio*:
 sic collectio partium ad constitu-
 endum totum, *Inductio* dicitur.

Distributio sumitur ex argumētis to-
 ti quidem consentaneis, inter se autem
 dissentaneis. Itaq; tanto accuratior erit,
 quanto partium & cum toto consensus,
 & inter se dissensio major fuerit.

De Distributione ex causis. C A P. XXVI.

Distributio prima est ex absolutē cō-
 sentaneis, causis nempe & effectis.
 Distributio ex causis est, quando partes
 sunt causæ totius. Hīc distributio inte-
 gri in sua membra præcipuē laudatur.
 Integrum est totum, cui partes sunt es-
 sentiales: Membrum est pars integri. Sic
 Grammatica in etymologiam & synta-
 xin; Rhetorica in elocutionem & actio-
 nem: Dialectica in inventionem & judi-
 cium dividitur. Ab his enim partibus

artes ille constituuntur. Hæc distributio principalis est, cum rei longioris explicatio suscipitur. i. Georg.

*Quid faciat letas segetes, quo sidere terram
Vertere (Macenas) submisq; adungere vites
Conveniat; qua cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atq; apibus quanta experientia parvis,
Hinc canere incipiam.*

Cic pro Mur. *Intelligo* (iudices) *tres totius accusationis partes fuisse: & earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.* Quin etiam aliter tractatur hoc argumenti genus, vel à partibus ad totum, vel à toto ad partes. Catull.

*Quintia formosa est multis: mihi candida, longa
Recta est: hæc ego sic singula confiteor:
Totum illud, formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est: qua cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes, surripuit Veneres.*

*De distributione ex effectis, ubi de Genere
& specie, CAP. XXVII.*

Distributio ex effectis, est quando partes sunt effecta: ut, in naui nau-tæ alii malos scandunt, alii per foros curfitant, alii sentinam exhauriunt, gubernator autem clavum tenet in puppi. Distributio generis in species hic excellit.

Genus

Genus est, totum partibus essenziale:
Species, est pars generis. Sic animal ge-
nus hominis & bestię dicimus. Animal
enim est totum, cujus essentia, nempe
substantia corporea, animata, sentiens,
ad bestiam & hominem communiter
attinet. Sic dicimus, hominem & besti-
am species animalis; quia partes sunt a-
nimali subjectę, quę animalis essenti-
am communem habent. Sic dicimus,
hominem, genus hominum singulo-
rum: & leonem, singulorum leonum:
contrá veró singulos homines, species
hominis: singulos leones, leonis. Genus,
est generalissimum, aut subalternū: Spe-
cies subalterna aut specialissima. Genus
generalissimum, cujus nullū est genus:
ut in Logica inventionē, argumentum
est genus generalissimum artificiali-
um & inartificialium. Subalternum
genus, ut subalterna item species, quod
species huius, illius autem genus est: ut
caussa, species est argumēti absolutē cō-
sentanei, genus materię & formę. Spe-
cies specialissima, quę est individua in
species alias, ut materia & forma singu-
lares. Genus veró & species notę sunt
causarum & effectorum: ut in animali
est essentia corporea, quę materia est ad

species communiter attinens: tum facultas vitæ & sensus, quæ forma item communiter ad species spectat. Quare genus continet causas, quæ communiter ad ipsius species attinent: contra itaque etiam species effecta generis sui continent. Hinc universale est infigne ac præstabile, quia causam declarat. Distributio generis in species valde quidè excellit, sed difficilis est & rara inventu. Attamè illustrationis & exempli gratia afferemus, quod poterimus Ovid 1. Metamorph. dividit animal in quinque species, stellas, aves, bestias, pisces, homines: stellis animam tribuit; ut etiam philosophi tribuere:

*Næ regio for. t. ulla suis animalibus orba,
Astra tenent cal. ste soluxq; formaq; deorum:
Cesserunt nitidis habitanda piscibus unda:
Terra ferar cepit, volucres agitabilis aer.
Sanctius his animal mentisq; capacius alta
Deerat adhuc, & quid dominari in cætera posset,
Natus homo est. —*

Sic Cicer. 1. Offic. Virtutem dividit in species quatuor, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Sed omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicuèria veri solertiaq; versatur; aut in societate hominum tuenda, tribuendoque suum unicuique;

*Et rerum contractarum fide; aut in animi
excelsi atq; invicti magnitudine ac robore;
aut in omnibus qua sunt, quaque dicun-
tur, ordine & modo, in quo inest modestia &
temperantia.*

Distributio generis in formas specie-
rum, eadem est; quia formæ cum genere
constituunt suas species: ut, animalium
aliud loquens, aliud mutum. Genus &
species non solum tractatur hac simpli-
ci divisionis formula, sed etiam separa-
tim alterum ex altero. Pro Archia; *Ac ne
quis à nobis hoc ita dici forte miretur, quòd
alia quedam in hoc facultas sit ingenii, at-
que hac dicendi ratio aut disciplina: nec nos
quidem huic cuncti studio penitus unquam
dediti fuimus. Etenim omnes artes, qua ad
humanitatem pertinent, habent quoddam
commune vinculum, & quasi cognatione
quadam inter se continentur. Ars, est ge-
nus: poëtica & eloquentia, sunt species.
Contrà genus tractatur per species: ut
4. de Trist.*

Materiamq; tuis tristem virtutibus imple:

Ardua per præceptis gloria vadis iter.

U. Etora quis nosset, felix si Troja fuisset?

Publica virtutis per mala facta via est:

Ars tua, Tiphys, jacet, si non sit in æquore fluctus:

Si valeant homines, ars tua, Phœbe jacet.

Qua latet, inq; bonis cessat non cognita robor,

Apparet virtus, arguiturq; malis,

Exempla igitur specialia suo generi accommodata, sunt hujus loci. 7. ad Attic. *Urbem tu relinquo? ergo idem, si Galli venirent? Non est (inquit) in parietibus Respublica, at in aris & focis. Fecit idem Themistocles: fluctum enim totius barbaria ferre urbs una non poterat. At idem Pericles non fecit, annum ferè post quinquagesimū, cum præter moenia nil teneret: nostri olim urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.*

De Distributione e subjectis, C A P. XXVIII.

Reliqua distributio est quodammodo consentaneorum, ut subjectorum & adjunctorum. Distributio est subjectis est, cum partes sunt subjecta, ut apud Catull.

*Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.*

Sic Cic. 5. Tusc. *Sint enim tria genera bonorum, ut jam à laqueis Stoicorum, quibus usum me pluribus quam soleo, intelligo, recedamus. Sint sanè illa genera bonorum, dum corporis & externa jaceant humi, & tantummodo quia sumenda sunt, appellantur bona. Alia autem divina illa longè lateq; sepandant, calumq; contingant; ut ea qui*

qui adeptus sit, cur eum beatum modò, &
non beatissimum dixerim?

De distributione ex adjunctis,

C. A. P. XXIX.

Distributio ex adjunctis est, quando
partes sunt adjuncta: ut hominum
alii sani, alii ægri; alii divites, alii paupe-
res. Sic Virgil. i. Georgic. mundum divi-
dit in quinque partes, mediam torridam,
duas extremas frigidas, & reliquas duas
temperatas.

Quinque tenent calum zone: quarum una corusco

Semper sole rubens, & torrida semper ab igni:

Quam circum extrema dextra laevaque trahuntur.

Cerulea glacie concreta, atque imbribus atris:

Hæc inter mediamque duas mortalibus agris

Munere concessa divum.

Cæsar i. bel. Gal. Gallia est omnis divi-
sa in partes tres, quarum unam incolunt Bel-
ge, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum
lingua Celta, nostra Galli appellantur.

De Definitione, CAP. XXX.

Definitio est cum explicatur quid
res sit, eaque vicissim definito ar-
guitur potest. Definitio est perfecta aut im-
perfecta: illa, proprie definitio: hæc, de-
scriptio dicitur. Definitio perfecta, est

definitio constans é solis causis essen-
tiam constituentibus: quales causæ ge-
nere & formâ comprehenduntur. Atq;
hoc modo definitur homo, animal ra-
tionale: nempe genere (animal) intelli-
gimus (ut dictum est) essentiam corpore-
am plenam vitæ & sensus, quæ materies
hominis est, & pars formæ: cum qua si
addas (rationale) totam formam homi-
nis comprehendes, vitæ, sensus, rationis
facultate. Itaq; perfecta definitio nihil
aliud est, quàm universale symbolum
causarum essentiam rei & naturam cõ-
stituentium. Tales definitiones sunt ar-
tium: Grammatica est ars benè loquē-
di: Rhetorica benè dicendi: Dialectica
benè differendi: Arithmetica benè nu-
merandi; Geometria benè metiendi.

De Descriptione. C A P. XXXI.

Descriptio est definitio ex aliis etiã
argumentis rem definiens: ut, Ho-
mo est animal mortale, capax discipli-
næ. Hic cum aliqua causâ miscetur cõ-
munis, itemq; propria circumstãtia. At-
que hæc succincta breuitas nõ est in hac
specie perpetua, sed sæpe illustriorem &
magnificentiorẽ explicationem des-
iderat. Sic gloria describitur in Milonia-
na:

na: Sed tamen ex omnibus premiis virtutis, si esset habenda ratio pramiorum, amplissimum esse premium, gloriam: hanc unam, qua brevitatem vitæ, posteritatis memoria consolaretur, qua efficeret ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere. Sic 4. Æneid. Fama describitur:

Exemplo Libya magnas it fama per urbes,
 Fama malum, quo non altius velocius ullum:
 Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo:
 Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
 Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.
 Illam terra parens ira irritata Deorum
 Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladog; sororem
 Progenit: pedibus celerem, & pernicibus alis:
 Monstrū horrēdū, ingēs, cui quot sunt corpore plumæ,
 Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
 Tot lingua, totidem ora sonant, tot subrigit aures:
 Noctē volat cali medio, terraq; per umbram
 Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
 Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
 Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
 Tam ficti praviq; tenax, quàm nuntia veri.

Tales sunt descriptiones plantarum, animalium in Physicis, item fluminum, montium, urbium in Geographis & Historicis.

De testimonio divino, CAP. XXXII.

C

se

P. R A M I

EXposito artificiali argumēto, sequitur inartificiale. Argumentum inartificiale est, quod non sua natura, sed assumpta artificialis alicujus argumenti vi arguit. Itaque cum exquisita rerū veritas subtilius exquiritur, per exiguam vim probationis habet: In civilibus autem & humanis rebus plerumque hoc argumentum præcipuam fidem ē moribus arguentis efficit, si prudentia, virtus & benevolentia adfuerint. Id uno nomine *testimonium* dicitur: estque divinum vel humanum. In divinis testimoniis numerantur nō solum Deorum oracula, sed etiam responsa vatum & fatidicorum: quæ omnia 3. Catilin. adhibentur. *Nam ut illa omittam* (ait Orator) *visas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremq; cali, ut fulminum jactus, ut terra motus, cæteraque, quæ ita multa nobis Consulibus facta sunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere Dii immortales viderentur.* Deinde paulo post: *Quo quidem tempore, cum Aruspices ex tota Hetruria convenissent: cades atque incendia, & legum interitum, & bellum civile ac domesticum, & totius urbis ac imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi Dii immortales omniratione placati, suo numine propè fata illa flexissent.*

flexissent. Tandem cum dixisset, ut ex
 Aruspicum responsis ludi facti, & Jovis
 signum majus factum conversumque
 ad orientem, tum ait: *Illud vero, nonne
 ita praesens est, ut nutu Jovis optimi maximi
 factum esse videatur? ut cum hodierno ma-
 ne per forum meo jussu & conjurati & eo-
 rum indices in eadem Concordia ducerentur,
 eo ipso tempore signum statueretur, quo
 collocato atque ad vos Senatuzq; conver-
 so, omnia & Senatus & vos (qua erant co-
 tra salutem omnium cogitata) illustrata
 & patefacta vidistis.* Brevis est illud Ti-
 bulli:

*Quod si vera canunt sacra oracula templis,
 Hac illi nostro nomine dicta refer:*

*Hoc tibi conjugium promittit Dalius ipse
 Felix, ac alium desine velle virum.*

De testimonio humano legis & sententiae,

C A P. XXXIII.

Testimonium humanum est com-
 mune aut proprium: commune, ut lex
 & illustres sententiae: legis autem & non scri-
 ptae & scriptae testimonium est pro Milo-
 ne. Est enim (judices) non scripta, sed nata
 lex: quam non didicimus, accepimus, legimus:
 verum ex natura ipsa arripimus, hausi-
 mus, expressimus: ad quam non docti, sed
 facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut,

C 2

*si vita nostra in aliquas insidias, si in vim,
 in tela aut latronum, aut inimicorum inci-
 disse, omnis honesta ratio esset expedienda
 salutis. Et ibidem: Quod si duodecim tabu-
 la nocturnum furem quoquo modo, diurnum
 autem si se telo defenderit, interfici impunè
 voluerunt; quis est, qui quoquo modo quis
 interfectus sit, puniendū putet, cum videat
 aliquando gladium nobis ad occidendum ho-
 minem, ab ipsis porrigi legibus? Sententia
 illustris sunt Proverbia: ut, Pares cum
 paribus facillimè congregantur. Spar-
 tam nactus es, hanc exorna. Sunt item
 dicta sapiētum, Nosce teipsum. Ne quid
 nimis. Sponde, præsto est detrimentum.
 Proprium testimonium est, ut Platonis
 illud, r. ad Quintum Fratrem: Atq; ille
 quidem princeps ingenii & doctrina Plato,
 tum deniq; fore beatas Respublicas putavit,
 si aut docti & sapientes homines eas regere
 cepissent; aut qui regerent, omne suum stu-
 dium in doctrina ac sapientia collocassent.
 Talia sunt in poetis 6. Æneid.*

Discite iustitiam, moniti: & ne temnite divos.

Sic Homericō illo versu:

Αἶας δ' ἐν Σαλαμῖνι ἔχθη δωδεκίδεκα νῆας
Ajax autem ex Salamine duxit duodecim naves.

Megarenses victi sunt ab Atheniensibus, Vivorum testimonia sunt non tantum

tam cum quaeritur de fundo aut cede & ejusmodi negotio aliquo; sed etiam obligationis, confessionis, jurisjurandi testimonia sunt. Obligationis exemplum est s. Philip. *Audebo etiam obligare fidem meam (P. C.) vobis populoq; Romano: quod profecto, cum me nulla vis cogeret facere non auderem, pertimesceremq; in re maxime periculosa opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo (P. C.) Casarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemq; eum maxime velle & optare debemus. Pignus autem obligatio quaedam est, ut apud Virg. Eclog. 3.*

*Vs ergo inter nos quid possit uterq; vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recusata,
Bui venit ad mulctram, binos alit ubere factus.)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certas?*

Confessio est libera vel expressa tormentis, quae proprie *questio* dicitur. Tale fuit argumentum contra Milonem, quod a Cicerone deridetur. *Age verò, quae erat aut qualis questio? Heus, ubi Ruffio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperat libertas.* Huc etiam referri potest argumentum, quò utimur, cum affirmationis nostrae approbationem & experientiam proponimus. 4. Ver. *Equus Volca-*


tio. si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Veniat nunc, experiatur: tecto recipiet nemo. Ter. Eunuch.

— Fac periculum in literis, Fac in palestra, fac in musicis; qua liberum scire aequum est adolescentem, solerem dabo. 3. Trist. Quod magis ut liqueat, neve hoc ego fingere credar; Ipse velim penas experire meas.

Jusjurandum etiam testimonium est: quale est 6. Æneid.

Per superos, & si qua fides tellure sub ima est, Invitus, regina, tuo de litore cessi.

Reciprocatio hic obscurior est, ut quia testatum verum sit, testis sit etiam verax.



P E T R I R A M I

D I A L E C T I C E S

Liber secundus, qui est de Judicio.

Quid iudicium, C A P. I.

AD HUC prima Dialecticæ artis pars fuit, in Inventione: pars altera sequitur, in Judicio. Iudicium, est secunda pars Logicæ de disponendis argumentis ad bene iudicandum: certâ enim dispositionis regula unumquodq; iudicatur:

tur: unde hæc pars Logicæ, & *judicium*
& *dispositio* pro eodem dicitur.

De Axiomatis affirmatione ac negatione,

CAP. II.

Judicium, est axiomaticum vel diano-
reticum. Axioma est dispositio argu-
menti cum argumento, qua esse aliquid
aut non esse judicatur. Latine Enuntia-
tum, Enuntiatio, Pronuntiatum, Pro-
nuntiatio, Effatum dicitur. Axioma, est
affirmatum, aut negatum: affirmatum,
quando vinculum ejus affirmatur: ne-
gatum, quando negatur. Hinc nascitur
axiomatum contradictio, quando idem
axioma affirmatur & negatur.

De vero & falso, CAP. III.

Axioma deinde est verum aut falsum:
verum, quando pronuntiat uti res
est; falsum, contra. Axioma verum, est
contingens aut necessarium. Contin-
gens, quando sic verum est, ut aliquan-
do falsum esse possit: ut,

Audientes fortuna juvat —

Fac enim, id esse hodie verum; cras
falsum esse poterit: Itaq; veritatis hujus
contingentis judiciû, *opinio* dicitur: quæ
præteritorum & præsentium homini

certa esse potest, futurorum per naturā non admodum potest, quamvis Deo tēpora omnia præsentia sint. Itaque Martialis Priscum meritó cavillatur:

Saperogare solus, qualis sim, Prisce, futurus,

Si fiam locuples, simq, repentē potens:

Quemquam posse putas mores narrare futuros?

Dic mihi, si fias tu eo, qualis eris?

Necessarium, quando semper verum est, nec falsum potest esse: & illud affirmatū appellatur $\kappa\tau'$ παντός, de omni. Impossibile cōtrā, quod de nullo unquam verum esse potest. Axiomata artium sic $\kappa\tau'$ παντός, esse debent, sed præterea homogenea & catholica. Axioma homogeneum est, quando partes sunt essentialia inter se: ut forma formato, subjectum proprio adjuncto, genus speciei. Id appellatur $\kappa\alpha\theta'$ αὐτῷ, per se. Axioma catholicum est, quando consequens semper verum est de antecedente, nō solum omni & per se, sed etiam reciprocē: ut, Homo est animal rationale: Numerus est par vel impar: Lupus est natus ad ululandum. id appellatur $\kappa\alpha\theta'$ ὅλων, universaliter primum. Tres hæ sunt leges documentorum artis priorum: prima $\kappa\tau'$ παντός, lex veritatis: secunda $\kappa\alpha\theta'$ αὐτῷ, lex justitiæ: tertia $\kappa\alpha\theta'$ ὅλων, lex sapientiæ dicatur. Atque ejusmodi axioma-

axiomatum ita catholicorum iudicium
verissima & prima scientia est.

De Axiomate simplici, C A P. IV.

ATque hæc de communibus axio-
matis affectionibus, species sequū-
tur. Axioma est simplex aut composi-
tum. Simplex est, quod verbi vinculo
continetur: Itaq; affirmato vel negato
verbo, affirmatur vel negatur: ut, Ignis
urit, Ignis est calidus: Ignis nō est aqua:
hîc, *ignis*, est antecedens: *urit*, cōsequens.
Atque hîc prima est inventarum rerum
dispositio causæ cum effectu, ut in pri-
mo exemplo: subjecti cum adjuncto, ut
in secūdo: dissentanei cum dissentaneo,
ut in tertio: quomodo argumentum
quodlibet enūtiari potest (exceptis ple-
nis comparationibus & distributioni-
bus) consentanea quidem affirmando,
dissentanea negando.

Axioma simplex, est generale aut spe-
ciale. Generale, quando commune con-
sequēs attribuitur generaliter commu-
ni antecedenti, atq; hîc contradictio nō
semper dividit verum & falsum, sed con-
tingētū utraq; pars falsa potest esse: ut,

Omnis in urbe locus Bajis præluet amœnis.

Nullus in urbe locus Bajis præluet amœnis.

Item non contingentium, ut: *Omne animal est rationale: Nullum animal est rationale.*

Axioma speciale est, quando consequens non omni antecedenti attribuitur: & hîc contradictio semper dividit verum à falso. Speciale est particulare aut proprium. Particulare, quando consequens commune antecedenti particulariter attribuitur: Huic autem axiomati generaliter contradicitur:

Aliquid ignoscendum est:

Nihil ignoscendum est.

Aliqua clementia non est laudanda:

Omnis clementia est laudanda.

Axioma proprium est, quando consequens antecedenti proprio attribuitur: ut, *Fabulla est bella: cujus negatio & contradictio est, Fabulla non est bella.*

De Axiomate copulato, C A P. V.

AXIOMA compositum est, quod vinculo conjunctionis continetur. Itaque é conjunctione affirmata vel negata, affirmatur vel negatur. Cōtradictionisq; pars vera est, pars falsa. Enuntiatiū compositum, est pro sua conjunctione congregativū, aut segregativum: Congregativum, enuntiat omnia consentanea affirmando, omnia etiam dissentanea

negativa

nea negando. Est veró copulatum aut
connexum: Copulatum, cujus conjun-
ctio est copulativa, ut 1. Æneid.

*Vnâ Eurusq; Notusq; ruunt, creberg; procellis,
Africus.* —

Hic igitur negatio erit & cōtradictio:

*Non unâ Eurusq; Notusq; ruunt, creberg; procellis
Africus.* —

Verum enuntiati copulati iudicium
pēdet ex omnium partium veritate: fal-
sum, saltē ex una parte falsa. Huic gene-
ri affine est enūciatū relatæ qualitatis,
cujus conjunctio est ipsa relatio. 3. Eclo:

Tale tuum carmen nobis divine poeta,

Quale sopor fessis in gramine. —

Hic copulatum iudicium est, tanquā
diceretur: Sopor est fessis gratus, & sic
tuum carmen nobis gratum est: cujus
negatio:

Non talē tuum carmen nobis divine poeta,

Quale sopor fessis in gramine.

De Axiomate connexo. CAP. VI.

Axioma connexum, est congregati-
vum, cujus conjunctio est connexi-
va, Si: ut 2. Æneid.

— *Si miserum fortuna Sinonem*

Finxit, vanum etiam mendacemq; improba finget,
cujus negatio est,

— *Non si miserum fortuna Sinonem*

Finxit, vanum etiam mendacemq; improba finget.

Conjunctio etiam hæc interdum negatur apertius, negando cōsequentiam: ut pro Amer. *Non cōtinuò si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum.* De Fato: *Nec si omne enunciatum verum est aut falsum, sequitur illico causas esse immutabiles.* Affirmatio enim significat, si sit antecedens, etiam consequens esse. Negatio itaque & contradictio statuit, si sit antecedens, non ideo consequens esse. Quare cūm judicabis cōnexum absolutè verum esse, necessarium quoq; judicabis, & intelliges hanc necessitatem è necessaria partium connexione oriri, quæ ipsa potest esse vel in falsis partibus: ut, *Si homo est leo, est etiam quadrupes,* necessarium connexum est. At si connexio sit cōtingens & pro sua tantūm probabilitate ponatur, judicium ejus tantūm opinio fuerit: ut Ter. Andr.

Pamphile, si id facis, hodie postremum me vider.

Connexo axiomati affinis est ista cōsequentiaæ relatio: ut, *Cūm Tullius sit orator, est etiam peritus bene dicendi.*

De Axiomate discreto, C A P. VII.

AXioma segregativum, est cujus cōjunctio est segregativa: ideoq; argumenta dissentanea enūtiat. Enuntiatum.

tum segregativum, est discretum aut disjunctum. Discretum, cujus conjunctio est discretiva. Itaque é dissentaneis præcipuè diversa enuntiat. 5. Tusc. *Quamquam sensu corporis judicetur, ad animum referri tamen: cujus negatio & cõtradiçtio est; Non quanquam corporis sensu judicentur, tamen ad animum referri: vel, Quanquam sensu corporis judicentur, non tamen ad animum referri.* Nam, Tamen, est hîc conjunctio præcipua. Discretum enuntiatum judicatur esse verum & legitimum, si partes non solum veræ, sed etiam discretæ sint: falsum vel ridiculum contrâ.

De Axiomate disjuncto, C A P. VIII.

AXioma disjunctum, est axioma segregativum, cujus conjunctio est disjunctiva. ut I. Georg.

*Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
Semp. r. & obtenta densantur nocte tenebra:
Aut redit à nobis aurora, di. mg. reducit.*

De Fat. Omnis enuntiatio est vera aut falsa. Hîc significatur, é disjunctis unicum verum esse. Negatio igitur erit & contradicçtio: *Non omnis enuntiatio est vera aut falsa.* Et contradictione significatur, non necessario alterutrum verum.

esse. Nam si disjunctio absolutè vera est, est etiam necessaria: partesq; disjunctæ sunt oppositæ sine ullo medio. Veruntamen quamvis absolutè vera disjunctio, necessaria quoq; sit: tamen nihil necesse est partes separatim necessarias esse: ut, *Homo est bonus, vel non est bonus*, disjunctio necessaria est: & tamen, *Homo est bonus*, non est enunciatio necessaria. Item *Homo non est bonus*, non est enunciatio necessaria: sed disjunctionis necessitas pendet è necessaria partium oppositione & disjunctione, non ex earum necessaria veritate. Disjunctio autè plerumq; est ex conditione: ut si quærat, *Utrum Cleon venerit, an Socrates*: quia ita pactum fit, alterutrum tantum venturum esse. Itaque si disjunctio sit contingens, non est absolutè vera, & tantum opinabilis est: qualis est frequenter in hominum usu. Ovid. in Epist. Leandri:

*Aut mihi continget felix audacia salvo;
Aut mors solliciti finis amoris erit.*

De Syllogismo & ejus partibus. C A P. IX.

ATque ejusmodi judicium est axiomaticum, axiomatis per se manifesti, sequitur dianoeticum. Dianoia est, cum aliud axioma ex alio deducitur: estq;

estq; syllogismus aut methodus. Syllogismus est dianoia, quâ quæstio cum argumento ita disponitur, ut posito antecedente, necessarió concludatur. Nam cum axioma dubiũ sit, quæstio efficitur, & ad eius fidem tertio argumento opus est cum quæstione collocato. Syllogismi antecedens partes duas habet, propositionem & assumptionem.

Propositio, est prima pars antecedentis, quâ quæstionis saltem cõsequens cum argumẽto disponitur: *Assumptio*, est secunda pars antecedentis, quæ assumitur è propositione. Syllogismi autem pars consequens est, quæ complectitur partes quæstionis, eamq; concludit: unde *complexio* & *cõclusio* dicitur. Si qua pars Syllogismi defuerit, *enthymema* dicitur: si quid præter illas tres partes accesserit, *prosyllogismus*. Partium etiam ordo sæpè confunditur: attamen, si qua dubitatio proptereá fuerit, explenda, quæ desunt: amputanda, quæ supersunt: & pars quælibet in locum redigenda est.

De Syllogismo simplici contratto, C A P. X.

Syllogismus, est simplex aut compositus: Simplex, ubi pars cõsequens quæstionis disponitur in propositione: pars

antecedens in assumptione: estq; affirmatus, é partibus omnibus affirmatis: negatus, é negata antecedentium partium altera cum complexione: generalis, é propositione & assumptione generalibus: specialis, ex altera tantúm generali: proprius, ex utraq; propria. Simplex syllogismus, est cōtractus partibus vel explicatus. Contractus, quando argumentum pro exemplo ita subjicitur particulari quæstioni, ut utramq; partem antecedens & assumptione affirmatum intelligatur:

*Quadam confidentia est virtus, ut constantia:
Quadam confidentia non est virtus, ut audacia.*

Hic enim argumentum, quæstionis utramque partem antecedere intelligitur, tanquam esset expressum, Constantiam esse virtutem & confidentiam: idcoq; quandam confidentiam esse virtutem: item, Audaciam non esse virtutem, & tamen esse confidentiã: idcoq; quandam confidentiam nō esse virtutem. Sic usus differendi, magister syllogistici iudicii contrahitur, nec aliter explicatur. Atq; ista expositio principium syllogismi partibus explicati ab Aristotele efficitur, tanquam per se pleno syllogismi iudicio sit clarior & illustrior.

De

De prima specie Syllogismi simplicis explicati,
CAP. XI.

IN syllogismo explicato propositio est generalis, aut propria, & conclusio similis antecedenti aut parti debiliori: Species duæ sunt: prima, ubi argumentū semper sequitur, negatū in altera parte.

GEN. I.

Cz. Turbatus non bene utitur ratione:

a Sapiens bene utitur ratione:

re Sapiens igitur non est turbatus,

Hoc iudicium ita fit à Cic. 3. Tusc. Et quemadmodum (ait) oculus conturbatus, non est probe affectus ad suum munus fungendum: & reliquæ partes, totumq; corpus à statu cūm est motum, deest officio suo, ac muneri: sic conturbatus animus non est probe affectus ad exequendum munus suum. Munus autem animi est, ratione uti: & sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optimè utatur: nunquam igitur est perturbatus.

GEN. II.

Cam Res mortalis est composita:

es Animus non est compositus:

tres Animus igitur non est mortalis.

Cic. 1. Tusc. hoc syllogismo iudicat animum immortalem esse. In animi autē cognitione (inquit) dubitare non possumus,

nisi forté in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmetatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certé nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus, quasi discessus & secretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

S P E C. I.

Fes Lividus non est magnanimus:

ti Maximus est magnanimus:

no Maximus igitur non est lividus.

Hoc iudicio Ovid. 3. de Pont. Eleg. 5. concludit:

Livor, iners vitium, mores non exit in altos:

Vtq; latens ima vipera serpit humo:

Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum.

Grandius ingenio nec tibi nomen inest.

Ergo alii noceant miseris, optentq; timeri,

Tinctaq; mordaci spicula felle gerant.

At tua supplicibus domus est assueta iuvandis.

In quorum numero, me, precor, esse velis.

S P E C. II.

Ba Saltator est luxuriosus:

roc Murana non est luxuriosus:

o Murana igitur non est saltator.

Cic pro Mur. Nemo enim ferè saltat sobrius, nisi forté insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto: Intempestivi convivii, amœni joci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio:

Tu mihi

Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse p̄s̄tremum : relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omninò esse non potest : nullum turpe convivium, non amor, non comessatio, non libido, non sumptus ostenditur : & cùm ea non reperiantur, qua voluptatis nomen habent, quaeque vitiosa sunt, in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuria reperturum putas ? Hoc iudicii modo Ovid. 1. Trist. Eleg. 2. tripliciter concludit, dum carminum suorum excusationem exponit :

Carmina proveniunt animo deducta sereno :

Nubila sunt subitis tempora nostra malis.

Carmina secessum scribentis & otia quaerunt :

Me mare, me venti, me fera jactat hyems.

Carminibus metus omnis abest : ego perditus ensem

Hasurum jugulo jam puto, jamq̄ meo.

Hæc quoq̄, quæ facio, iudex mirabitur æquus :

Scriptaq̄, cum venia qualiacunq̄, leget.

P R O P R. I.

Agesilaus non est pictus ab Apelle ;

Alexander est pictus ab Apelle :

Alexander igitur non est Agesilaus.

P R O P R. II.

Cæsar oppressit patriam :

Tullius non oppressit patriam :

Tullius igitur non est Cæsar.

De secunda specie syllogismi simplicis explicati.

C A P. XII.

Secunda species explicati syllogismi
est, quando argumentum antecedit
in propositione, sequitur affirmatum in
assumptione.

A F F. G E N.

Bar Omne iustum est utile :

ba Omne honestum est iustum :

ra Omne igitur honestum est utile :

Quod Cic. 2. Offic. ita cōcludit: Sum-
ma quidem auctoritate Philosophi, seueri
sanè atq; honeste hac tria genera confusa, co-
gitatione distinguunt: Quicquid enim iustum
sit, id etiam utile esse censent: Itemq; quod
honestum, idem iustum. ex quo efficitur, ut
quicquid honestum sit, idem sit utile.

N E G. G E N.

Ce Timidus non est liber :

la Avarus est timidus :

rent Avarus itaq; non est liber.

Hoc ita concluditur & iudicatur ab
Horatio 1. Epist.

Quo melior seruo, quo liberior sit avarus,

In triuis fixum cum se demittit ob assem,

Non video; nam qui cupiet, metuet quoq; ; porro

Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.

Sic Terent. in Eunucho concludit &
iudicat:

Consilii expertus, consilio regi non potest;

Amor est consilii expertus:

Consilio itaq; regi non potest.

Syllogismus his verbis sequitur:

Here, quæ res in se neg, consilium neg, modum

Habet

Habet ullum, eam consilio regere non potes :
 In amore omnia hac insunt vitia : injuria,
 Suspiciones, inimicitie, inducie,
 Bellum, pax rursus : incerta hac si tu postules
 Ratione certa facere, nihilo plus agas,
 Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

A F F. S P E C.

Da Consules virtute facti, studiosè Remp. tueri de-
 bent :

ri Cicero est virtute factus Consul :

i Cicero igitur Remp. studiosè tueri debet.

Sic orator diligentiam suam Agra. 2.
 concludit & judicat : Nam cùm omnium
 Consulium (ait) gravis in Republica custo-
 dienda, cura ac diligentia debet esse, tùm eo-
 rum maximè, qui non in incunabulis, sed in
 campo sunt Consules facti : Nulli populo Ro-
 mano pro me majores nostri sponderunt,
 mihi creditum est : á me petere, quod debeo,
 me ipsum appellare debetis. Quemadmodùm
 cùm petebam, nulli me auctores generis mei
 vobis commendarunt ; sic si quid deliquero,
 nulla sunt imagines, quæ me á vobis depre-
 sentur. Quare modò ut vita suppetat (quan-
 quam ego sum is, qui eam possim ab istorum
 scelere insidiisq; defendere) polliceor hoc vo-
 bis, Quirites, bona fide, Rempubl. vigilantì
 homini, non timido ; diligenti, non ignave
 commissistis.

Quod optatum redierit, gratum est :

Laibia Casullo optata rediit :

Grata igitur est.

Catullus sic concludit :

Si quicquam cupidog₂ optantiq₂ obtigit unquam, &

Insuperanti, hoc est gratum animo proprie :

Quare hoc est gratum, nobis quoq₂ charius auro,

Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.

Restituis cupido, atq₂ insuperanti ipsa refers te

Nobis, o lucem candidiore nota!

Quis me uno vi vit felicitior ? aut magis hac quid

Optandum vita, dicere quis poterit ?

N E G. S P E C.

Fe Deceptor amantis puella non est laudandus :

ri Demophoon est deceptor amantis puella, ut

Phyllidis :

o Demophoon igitur non est laudandus

Phyllis apud Ovid. ita iudicat Demophoontem laudandum non esse.

Fallere credentem non est operosa puellam

Gloria: simplicitas digna favore fuit :

Sum decepta tuis & amans, & femina verbis,

Dii faciant, laudus summa sit ista tua.

A F F. P R O P.

Octavius est heres Caesaris ;

Ego sum Octavius :

Sum igitur heres Caesaris.

N E G. P R O P.

Antonius non est filius Caesaris :

Tu es Antonius :

Non es igitur filius Caesaris.

De Syllogismo connexo primo, C A P. XIII.

ADhuc syllogismus simplex fuit: syllogismus copositus, est syllogismus ubi

ubi tota quæstio est pars altera propositionis affirmatæ & compositæ: argumentum est pars reliqua. Tollere autē in composito syllogismo, est specialem contradictionem ponere. Syllogismus compositus, est connexus aut disjunctus. Syllogismus connexus, est syllogismus compositus propositionis connexæ: estque duorum modorum: primus modus syllogismi connexi est, qui assumit antecedens, & consequens concludit. Quomodo Cic. iudicat & concludit lib. 2. de Divinat.

Si dii sunt, divinatio est:

Sunt autem dii:

Divinatio est igitur.

3. *Offic. Atque si etiam hoc natura prescribit, ut homo homini quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eandem naturam, omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, unam continemur omnes eadem lege natura: Idque ipsum si ita est, certe violare alterum lege natura prohibemur; verum autem primum, verum igitur & extremum.*

Sic Æneid. 4. Dido iudicat Æneæ remanendum esse:

Mene fugis? per ego has lacrimas dextramque tuam, te,

Quando aliud mihi jam misera nil ipsa reliqui,
 Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos,
 Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
 Dulce meum: miserere domus labentis, & istam.
 Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem:
 Te propter Libyca gentes, Nomadumq; tyranni,
 Odere, insensi Tyrii: te propter eundem
 Extinctus pudor; & qua sola sidera adibam,
 Fama prior: cui me moribundam deseris hospes?

Frequenter hic non assumitur idem,
 sed majus: ut i. Catil. Si te parentes time-
 rent, atq; odissent tui, neq; illos ulla ratione
 placare posses, ut opinor, ab eorum oculis al-
 liquo concederes: nunc te patria (qua com-
 munis est omnium nostrum parens) odit ac
 metuit, & jamdiu nihil de te judicat, nisi de
 parricidio suo cogitare: hujus tu neq; aut hor-
 ritatem verebere? neq; judicium sequere? ne-
 que vim pertimesces? Concludendi mo-
 dus hic idem est, quando propositio est
 relata temporis: quo genere nympha
 Oenone apud Ovid. concludit errorem
 stultitiæ suæ:

Cum Paris Oenone poterit spirare relicta,
 Ad fontem Xanthi versa recurret aqua:
 Xanthe retró propera, versa q; recurrite lympha:
 Sustinet Oenonem deseruisse Paris.

De Syllogismo connexo secundo, C A P. XIV.

SECUNDUS modus connexi tollit con-
 sequens, ut tollat antecedens.

Si nulli

Si ulli rei sapiens assentietur usquam: aliquando etiam opinabitur:

Nunquam autem opinabitur:

Nulli igitur rei assentietur.

Eodem syllogismo Ovid. 2. Trist. stultitiam suam iudicat:

Si sciperem, doctas edissem iure sorores:

Numina cultori pernicioiosa suo:

At nunc (tanta meo comes est insania morbo)

Saxa memor refero rursus adicta ped. m.

Hæ duæ syllogismi species sunt omnium usitatissimæ.

De Syllogismo disjuncto primo, C A P. XV.

SYllogismus disjunctus, est syllogismus compositus propositionis disjunctæ.

Modi duo sunt: Primus tollit unum, & reliquum concludit, ut:

Aut dies est, aut nox est:

At dies non est:

Nox igitur est.

Ciceronis pro Cluentio iudicium tale est: *Sed cum esset hæc illi proposita conditio, ut aut iuste pieque accusaret, aut acerbè indignèq; moreretur: accusare quoquo modo posset, quàm illo modo mori maluit.* Disjunctio clarior sic erit:

Aut accusandum, aut moriendum:

Non moriendum:

Accusandum igitur.

Sic idem 2. Philip. ratiocinatur: Nunquam ne intelliges tibi statuendum esse u-

trum illi, qui istam rem gesserunt, homicida sint, an vindices libertatis? Attende enim paulisper, cogitationemq; sobrii hominis ad punctum temporis suscipe: & ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris: ut à te arguor, socius: nego quicquam esse medium: confiteor, illos, nisi liberatores populi Romani, conservatoresq; Reipublice sint, plus quàm sicarios, plus quàm homicidas, plus quàm parricidas esse: siquidem est atrocius, patriam parètem, quàm suum occidere. Tu homo sapiens & considerate, quid dicis? Si parricida, cur honoris causa à te sunt, & in hoc ordine, & apud populum Romanum semper appellati? Cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab Urbe plus quàm decem dies absuisset? cur ludì Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provincia Cassio & Bruto data? cur Quaestores additi? cur Legatorum numerus auctus? Atq; hæc acta per te: non igitur homicida: Sequitur, ut liberatores tuo iudicio sint, quandoquidem tertium nihil potest esse. Si partes disjunctæ propositionis sint duabus plures, judicandi concludendique ars erit eadem. Sic Cicero iudicat, Rabiriū cū consulibus esse oportere. At qui videmus (ait) hæc in rerum natura tria fuisse, ut aut cum Saturnino esset, aut cū bonis, aut late-

res.

ret. Latere autem, mortis erat instar turpif-
sima: cum Saturnino esse, furoris & sceleris:
virtus & honestas, & pudor cum Coss. esse
cogebat.

De Syllogismo disjuncto secundo, C A P. XVI.

Disjunctus secundus, é propositione
partibus omnibus affirmata assu-
mit unum, & reliquum tollit, ut:

Dies est, aut nox est:

At dies est:

Nox igitur non est.

Sic Juno cum Jove de Turno conclu-
dit, 10. Æneid.

Quid si quod voce gravaris,

Mente dares, atq; hæc Turno rata vita maneret;
Nunc manet insontem gravi exitus, aut ego veri
Vana feror: quod ut o potius formidine falsa
Ludar, & in m. lius tua, qui potes, cæsa respicias.

Ejusmodi syllogismus efficitur é pro-
positione copulata negata, quæ, negata
complexio dicitur: quæq; disjunctionis
affirmatæ vim obtinet.

Non & dies est, & nox est;

At dies est:

Non igitur nox est.

De Methodo secundum Aristotelem unica.

C A P. XVII.

Methodus est dianoiia variorum axio-
matum homogeneorum pro na-

turæ suæ claritate præpositorum; unde omnium inter se convenientia iudicatur, memoriaq; comprehenditur. Atqui ut spectatur in axiome veritas & falsitas, in syllogismo consequentia & inconsequentia: sic in methodo consideratur, ut per se clarius præcedat, obscurius sequatur; omninoq; ordo & confusio iudicatur. Sic disponetur ex homogeneis axiomatis primo loco absoluta notione primum, secundo secundum, tertio tertium, & ita deinceps: ideoq; methodus ab universalibus ad singularia perpetuò progreditur. Hac enim sola & unica via proceditur ab antecedentibus omnino, & absolutè notioribus ad consequentia ignota declarandum, eamq; solam methodum Aristoteles docuit.

*De prima Methodi illustratione per exempla
artium, C A P. XVIII.*

SED methodi unitatem exempla doctrinarum & artium præcipuè demonstrant præcipueq; vindicant; quibus quavis omnes regulæ generales sint & universales, tamen earum gradus distinguuntur: quantoq; unaquæque generalior erit, tantò magis præcedet. Generalissima loco & ordine prima erit, quia lumine & notitia prima est: subalternæ consequen-

sequentur, quia claritate sunt proximæ:
 atque ex his natura notiores præponen-
 tur, minus notæ substituentur, tandem-
 que specialissimæ constituentur. Defi-
 nitiō itaq; generalissima prima erit: dis-
 tributio sequetur: quæ, si multiplex fue-
 rit, præcedet in partes integras partitio,
 sequetur divisio in species: partesq; ipsæ
 & species eodem ordine sunt rursus tra-
 ctandæ, ac definiendæ, quo distributæ
 fuerint: & transitionum vinculis, si lon-
 gior inter eas interfit explicatio, colli-
 gandæ sunt: Id enim auditorem reficit
 ac recreat. Atq; ut res familiarius acci-
 piatur, exemplo quoq; familiari uten-
 dum est. Omnes definitiones, distribu-
 tiones, regulæ Grāmaticæ repertæ sint,
 atq; unaquæque sigillatim iudicata: om-
 niaq; hæc documenta variis tabellis
 inscripta, unâ confundantur & contur-
 bentur in hydria aliqua, ut in Ollæ ludo
 fieri solet: hîc si quæras, quæ pars Diale-
 cticæ te doceat has regulas ita confusas
 disponere, & in ordinem redigere: pri-
 mō locis invētionis nihil opus est, cūm
 sint omnia reperta: neq; primo axioma-
 tis iudicio, cūm unumquodque axioma
 probatum & æstimatum sit: neq; secū-
 do syllogismi iudicio opus, cūm sint o-

omnes singularum rerum controversiæ his de rebus disceptatæ & conclusæ: sola methodus superest. Dialecticus igitur lumine methodi artificiosæ, seliget in hac urna definitionem Grammaticæ (id enim est generalissimum) & primo loco statuet: *Grammatica est doctrina bene loquendi*. Tum requiret in eadem urna partitionem Grammaticæ, & collocabit secundo loco: *Partes Grammaticæ sunt dua: Etymologia & Syntaxis*. Deinceps in eodem vase definitionem Etymologiæ de vocibus separabit, & tertio gradu antecedentibus adjunget: tum vocis partes in literis & syllabis, speciesque in vocibus numeri, & sine numero requiret, exituumq; trāsitiones suis locis collocabit. Atq; ita omnium Etymologiæ partiū definitiones, distributiones, colligationes, exempla deniq; specialissima in singulis disponet, idemq; in Syntaxi faciet. Hanc viam omnes artes sibi proposuerunt.

*De secunda Methodi illustratione per exempla
Poetarum, Oratorum, Historicorum,*
C A P. XIX.

ATqui methodus, nō solum in materia artium & doctrinarum adhibetur:

betur: sed in omnibus rebus, quas facile
& perspicue docere volumus: ideoque
Poetæ, Oratores, omnesq; omnino scri-
ptores, quoties docendum sibi auditorē
proponunt, hanc viam sequi volunt,
quamvis non usquequaq; ingrediantur
atq; insistant. Virgilius in Georgicis dis-
tribuit proposita materiam in quatuor
partes, ut antè dixi: primoque libro res
communes persequitur, ut Astrologiā,
Meteorologiam; deq; segetibus & earū
cultu differit, quæ pars operis prima e-
rat, tumq; transitio adhibetur initio se-
cundi libri:

Hæcenus arborum cultus & sidera cal;

Nunc te, Bacche, canam:

Deinceps scribit generaliter de arbo-
ribus, tum specialiter de vitibus. Trans-
itio secunda adhibetur ad tertiam par-
tem, sed imperfectior, & sine epilogo.
Tertii libri initio de bobus, equis, ovi-
bus, capris, canibus:

Te quoq; magna Pales, & te, memorande, canemus

Pastor ab Amphryso.

Tandem initio quarti libri transitio
tertia est de quarta parte, sed item im-
perfecta est sola propositione de apibus:

Protinus aerii mellis sylvestria dona

Exequar.

Sic igitur Poeta generalissimum pri-

mo, subalterna medio, specialissima extremo loco ponere studuit. Sic Ovid. in Fastis dispositionis hujus gratiã sequitur: proposuit initio summam operis:

*Tempora cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaq; sub terras ortaq; signa canam.*

Mox imploratione facta, partitione anni statuit, factam à Romulo primùm in decem menses, quam reprehendit:

*Tempora diger. ret cum conditor urbis, in anno
Constituit m. nses quinq; bis esse suo.*

Et paulò post Numæ divisionem pleniorẽ adjungit:

*At Numa nec Ianum, nec avitas præterit umbras,
Mensibus antiquis præposuitq; duos.*

Deniq; Poeta communes differentias interpretatus diei fasti, nefasti, comitialis, nundinalis, calendarum, nonarum, iduum, tum atri; tandem unumquemq; mensem suo loco prosequitur, & præfatione ordinis hujus à generalib. ad specialia studium indicat:

*Hæc mihi dicta semel, totis hærentia fastis,
Næ feriem rerum scinder cogar, erunt.*

Tandem singulis partibus expositis transitio conjungitur, ut in fine 1, & initio 2.

*Sed jam prima mei pars est exacta laboris,
Cumq; suo finem mense libellus habet.
Janus habet sin m, cum carmine, rescat & annus:
Alter ut it mensis, sic liber alter eat,*

In singulis libris postea transitiones adhibentur, sed minus accuratè. Oratores in proœmio, narratione, confirmatione, peroratione hunc ordinem affectant, eumq; artis & naturæ & rei ordinem appellant, & interdum studiosius affectantur: ut in accusatione Cicero primùm proponendo, tum partiendo: *Questor*, (inquit) *Cn. Papyrio Cossuisti ab hinc annos quatuordecim, & ex illa die ad hanc diem, qua fecisti, in iudicium voco, hora nulla vacua furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur.* Propositio hîc & definitio summæ rei est, tanquam in hoc iudicio generalissima. Partitio sequitur: *Hî sunt anni consumpti in Quæstura & legatione Asiatica, & Pratura urbana, & Pratura Siciliensi: quare hac eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ.* Quas partes quatuor earumq; partium particulas deinceps suo quamque ordine & loco tractavit, & transitionib. copulavit, tres primas tertio libro: *Quæobrem* (ait) *Quæstura istius demonstrata, primiq; magistratus & furto & scelere perspecto, reliqua atteridite.* Tum verò expositis legationis criminibus, transitio ad Præturam sequitur: *Verùm ad illam jam veniamus præclaram Praturam, criminatq;*

ea, quæ notiora sunt his, qui adsunt, quàm nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus. Transitio hæc imperfectior est sine epilogo, tandem principio quartæ orationis trāsitus est cōsimilis ad quartam partem de Prætura Siciliensi: *Multa mihi necessario, iudices, præmittenda sunt, ut possim aliquo modo de iis rebus, quæ mea fidei commissa sunt, dicere: recepi enim causam Sicilia: ea me ad hoc negotium provincia attraxit. Sic Livius summam septingentorum annorum initio completitur, tum per decades dividit.*

De Crypticis methodi, CAP. XX.

HÆc igitur in variis axiomatis homogeneis suoq; vel syllogismi iudicio notis methodus erit, quoties perspicuè res docenda erit: At cùm delectatione motive aliquo majore, in parte aliqua fallendus erit auditor; homogenea quædam rejicientur, ut definitionum, partitionum transitionumq; lumina: quædam assumètur heterogenea, velut digressiones à re & in re commorationes; sed præcipuè rerū ordo initio inverretur, antecedentiaque nonnulla consequentibus postponentur. Itaq; ad illam perfectæ methodi regulam hæc alicubi

licubi imperfectior forma non solum detractis rebus mutila est, vel superadditis redundat, sed ordinis sui quibusdā gradibus inuersis præpostera est. Quod Poeta facit majore quadā artificii specie, dum populum ducendum sibi proponit, id est, belluam multorum capitū, ideoque variis modis decipit, incipit á medio, ibiq; primum sæpe comprehendit, postremum deniq, incerto aliquo & inopinato casu concludit. Sic (ut Horatius ait) Homerus Iliada disposuit:

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo:

Semper ad eventum festinat, & in medias res

Non secus ac notas auditorem rapit: & qua

Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Atq, ita mentitur, sic veris falsa remiscet.

Primo ne medium, medio ne discrepet iuum.

Sic Virg. Æneam á Sicilia excepit, & in convivio Carthaginis præterita nar-
rãtem fecit: postrema variis perturbata
casibus induxit. Sic Comici poetæ tam-
etsi magno iudicio comœdias per actus
& scenas distinguunt, efficiunt tamẽ ut
omnia fortuita videãtur. Oratores veró
ad victoriã omnia referunt. Itaq; nõ tã
docendi, quã permovendi gratiã fir-
missimum quodque primum ab iis col-
latur; dum tamen ea quæ æquẽ excel-

84 P. RAMI DIAL. LIB. II.
lent, seruentur etiam ad extremum; &
Homericæ dispositione mediocria in
mediam turbam atque in gregem
conferantur.


F I N I S.





&
n



















































































153367.

X2617295

VD17



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



PETRI RAMI
VEROMANDUI,
Regii Professoris,
DIALECTICÆ
LIBRI DUO.
*lectus in usum Scholarum hac forma di-
stinctius et emendatius excusa.*



HANOVIAE
pud Guilielmum Antonium,
MDCIV.

